DE IDOLOLATRIA MAGICA, DISSERTATIO,

IOANNIS FILESACI
Theologi Parisiensis.



PARISIIS,
EX OFFICINA NIVELLIANA,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, viâ Iacobæa, sub Ciconijs.

M. DC. IX.
Cum Licentia Superiorum.

CORNELL UNIVERSITY
The President White Library
RECEIVED 1891.

7440F450
BK
A.4939.

INDICVLVS RERVM PRÆCIPVARVM.

§. 1.

SCriptionis cauſæ.
Apulei locus, de fide magicis operibus adhibenda. fol. 2. a

§. 2.

PRopoſita controuerſia, ab ea rationes, diſiectæ, quid Diabolus ligatus.
B. Ioannis locus c. 12. Euang. explicatus à B Cyrill. Iſidor. Peluſiot. f. 4. 5.
Ex B. Bernardo, eo pacto Diabolus eiectus, vt peccatum & mors ſuperata dicuntur à Chriſto. f. 5.
Ligatus Diabolus, quid ex beato Auguſtino. fol. 5. b. 6. a
Prædeſtinati liberati à poteſtate Diaboli ex B. Auguſt. & B Irenæo. f. 6. a. b
Qua ratione Diabolus dicatur magis ſæuire poſt Chriſti ortum, ex beatis Gregorio & Bernardo. f. 6. b. 7. a
Diabolus aliter tentat electos, aliter reprobos,

ex beatis Augustino & Bernardo. f. 7.a.b
Elegans descriptio multiplicis tentationis quæ à Diabolo sit, apud B. Ephræm. f. 7.b.8.a

§. 3.

Diaboli potestas duplex, & cuiusmodi, Canon Ancyranus excussus.

Diaboli potestas petita ex ordine vniuersi, vt describit B. Augustinus. f. 8.b
Potestas Diaboli duplex, intrinseca, & extrinseca, & hæc bifariam consideratur. f. 9.a
Potestas Diaboli ex S. Scripturis explicata. ibidem.
Locus Apostoli ad Ephesios, aliter dispunctus à B. Irenæo, quàm vulgati codices Latini habent. f. 9.b
Ex beatis Cyrill. & Ambros. explicatio loci Apostoli de potestate diaboli. f. 9.b
B. Gregor. locus apertissimus de potestate diaboli. ibidem.
Tertulliano duplex potestas diaboli. f. 10.a
Fine quadrupli ci diabolus fideles tentat. ibidem.
Tertulliano cautio adhibita. f. 10.b
Angelorum potestas in transuehendis hominibus, varijs quidem exemplis, ac de Sathana idem. fol. 11.a.b
Canonis Ancyrani interpretatio. f. 11.b
Canonis Ancyrani collatio cum Canone Ag.-

thenſi, & loco apud Sarisberienſem f. 11. b 12. a

Locus apud Sarisberienſem emendatus, quid Noctiluca, hinc Gloſſæ veteres emendat. e. f. 12. a. b

Vulgata lectio apud Sarisberienſem defenſa. ibidem.

Canonis Ancyrani collatio cum loco Petri Bleſenſis & emendatio illius loci. f. 12. b. 13. b

Tranſuectio Sagarum, firmata ex B. Epiphanio, & Apuleio. ibidem.

Hiſtoria memoranda tranſuectionis Magi cuiuſdam Siculi ope Dæmonum. f. 13. a. b

Diaboli poteſtas ex Dei permiſſu cuiuſmodi ſit ex B. Auguſtino. f. 14. a. b

B. Auguſtini locus deſcriptus à beatis Gregorio & Bernardo. f. 15. a

B. Auguſtini ſententia explicata, de corporibus quæ aliquando attribuit ipſe Dæmonibus. ibidem.

§. 4.

Diaboli perpetua voluntas ac ſtudium in Dei nomine & cultu expetendo ac procurando.

Qua ratione diabolus Deo ſimilis eſſe voluerit ex B. Gregorio. f. 16. a

Locus beati Gregorij emendatus. ibidem.

Poſt Chriſti natiuitatem quàm ſtudioſè diabolus

Dei nomen & existimationem ambierit. f.17. & sequent.

Quid sit illud Tertulliani: Soli Sathanam nouere Christiani. *ibidem.a*

Tertulliani locus obscurus explicatus. f. 17.b 18. a

Tertulliani locus, solis Christianis exorcisandi vim attribuit, non Gentilibus vt quidam I. C. censuit. *f.18.a.b*

Diabolus, per Idola, per ceremonias, & Magos, sibi diuinitatis opinionem ante Christi ortum vendicauit. *f.19.a*

Idolis quam diuinitatem Gentiles attribuerint, ex varijs. *f.19.b.20.a.b*

Statuæ Magicà arte effictæ, & cui vsui. f.21.a

Ceremonias sacras Deo auctore institutas æmulatus est diabolus. *f.21.b*

§. 5.

Diaboli artes, quibus diuinitatis existimationem apud homines parauit, vnde & quale Medicinæ commercium cum Magia, ridicula diuinandi ars.

Diabolus triplici modo diuinitatem apud Ethnicos ementitus *f.22.a*

Arnobio adhibita cautio, in sententia de effectis peccati originalis. *f.23.a*

Diabolus morbos creat in corporibus humanis.

fol. 23. a. b
Tertulliano medicina facta. f. 23. b
Dæmones an serio & re vera morbos curare valeant. f. 24. a. b
Plinij reiecta sententia de Medicina velut Magiæ surculo. f. 25. b
Medicina à Deo ex Scriptura. ibidem
Medico quis honor habendus. f. 26. à
Magia vnde nata ex B. Augustino & Apollonio Thianæo. f. 26. b
Magiâ quot & quales scientias complectatur Plinio. ibidem.
Verbis curati morbi, priscis etiam temporibus. ibidem. & f. 27. a
Magi medicinam faciebant apud varias gentes. ibidem.
Iamblicus in vita Pythagoræ emendatus. f. 27. b
Medici nonnulli magiæ dediti. ibidem.
Anus verbis morbos curant. f. 28. a
Formulæ ridiculæ morborum verbis sanandorum. ibidem. a. b
Mercurij Trismegisti libri medici, an ad magiam spectarent. f. 28. b
Pastophori & Pastophoria quæ ex varijs. ibidem.
Medicina, cur dicta ars muta. f. 29. a
Laniena Hippocratica ex Prudentio quid. ibid.

Verba ſacra quàm ritè adhibeantur ad morborum curationem. f.29.b

Apulei excuſatio, de ægrotis quauis ratione iuuandis an legitima. ibidem.

Carminum & verborum vſus in morbis curandis, an ſemper innocuus. f.30.a

Medicamentarius quis. f.30.b

Medicina atque mathematicæ artes apud vulgus magiæ ſuſpicione laborarunt. fol. 31.a

Philoſophiæ honeſtiori nomine magia vocitata. ibidem.

Magicum medendi genus mirum. f.31.b

Dæmones cùm apparent & formà quidem humanà, maiorem ſolito & auguſtiorem illam obiiciunt. f.32.a

Veteres etiam Hebræos credidiſſe mortuorum vmbras apud inferos maiores apparere. f.33.a

Apud Gigantes *idiotiſimus Hebraicus pro* apud mortuos. ibidem.

Vaticinium ridiculum de euerſione Imperij Turcici, pronunciatum ante annos centum. f. 33.b

L.7. Cod. de maleſ. & mathemat. lux ab Ammiano, Tertulliano, Paulo. I. C. fol.34. b

§. 6.

IDololatriæ & Magiæ conſenſus.

Quinque artes diaboli quibus homines à Deo abducere conatur. f.36.a

Magiam aut excuſauit aut defendit Origenes, & reprehenſus ideo à Theophilo. f.36.b

Magia ſecunda Idololatria. f.37.a

Orpheus magus, Idololatriæ auctor præcipuus apud Græcos. ibidem.

Numa magus, Idololatriæ auctor præcipuus apud Romanos. f.37.b

Numa ceremonias & ritus magna parte à Moſe mutuatus. f. 38a

Aegeria Nympha, quæ Numam docuit, dæmon fuit ſuccubus, non probus genius. ibidem.

Numæ Magia demonſtrata. f.38.b

Sacra Cereris Eleuſinæ quid cum Magia. fol. 39. b

Sacra Serapidis & Iſidis, quid ad Magiam. ibidem.

Græci appellati Ethnici, non Iuliani Apoſtatæ tantum tempore contra Alciatum. fol. 40. a.b

Scholæ magicæ ante Chriſti ortum. ibidem.

Magia quæ ante Chriſti ortum conceſſa dicatur, Tertul. & B. Hieron. f. 41.a.b

Idola Ethnicorum Dæmones esse, nec aliud Dæmonum genus, Dositheorum sententia ex Photio. f.41.b

Ophitæ, Marcionitæ, Hæretici, Idololatræ. fol. 42.a

Serpens diaboli symbolum. f.42.b

Carpocratiani, Ethnophrones Hæretici, Idololatræ. f.42.b.43.a

Quæ apud veteres Christianos remanserant, Idololatriæ reliquiæ quid ad Magiam. fol. 43.a

Medicinæ prætextu quæ Magica arte obseruata. f. 43.a

Caput Concil. Arelatensis illustratum. f.44.a

Cariagij vox non Hispanis modo, sed & Gallis nostris vsurpata, & vnde petita. ibidem.

Maleficium maleficio soluere, Ethnicam superstitionem redolet. f. 44.b.45.a

Sacrificia Dæmonibus exhibita à fidelibus, & ijs minime magis. ibidem. & pag.b

Superstitionis priscæ quæ surpererant reliquiæ quo pacto cum Magia coniunctæ. ibidem. b.& 46.a

Quibus modis latria & summo cultu honoretur diabolus. f.46.a.b

Historia lepida ex Paulo Veneto de societate Magiæ & Idololatriæ. f.47.a.b

§. 7.

SAcrificium Magicum, quale, quotuplex.

Ars Magica quo fine excogitata à Dæmonibus. f. 48.a

Dæmones quantùm ſibi ſacrificia offerri expetant, ex B. Auguſtino. f. 48.a.b

Dæmones ſacrificijs mirificè delectari poſt Chriſti aduentum. f. 49.a

Iamblicus Magus & ſacrificandi dæmonibus ſtudioſus. f. 49.b. 50.a

Diabolus vel gladiatoris alicuius, vel Achillis, Herculis, Aeſculapij forma apparet. f. 50.b

Iamblico quot deorum minorum genera. ibidem. & f. 51.a

Maximi Tyrij locus explicatus. f. 51.a

Iamblici demonſtratio de ſacrificij neceſſitate. ibidem.

Sacerdos idem qui magus ex variis. f. 51.b

Iamblico & Apuleio diſtinctio & ordo ſacrificandi, qualis. f. 52.a

Sacer homo & Peripſema quid. f. 52.b

Homines dæmonibus immolati in orbe nouo. ibidem.

Cur homo adeo dæmonibus grata ſit victima ex Varrone. f. 53.a

Chanochus ſcriptor antiquus ante diluuium cuius libri de rebus ſacris & vaticiniis apud Ethio-

pes, non satis verè. f.53.b
De symbolis & verbis Barbaris ac nullius significati, à magis vsurpatis, ex variis. ibid. f.54.a
Aegyptij Magiæ addictissimi ex Arnobio, locus obseruandus. f.54.b
Porphyrius magus, & varius in sacrificijs dæmonibus adsignandis.
Ex Porphyrio, Iamblico, & Apuleio dæmones sæpius in sacrificijs magicis apparent loco geniorum beneficorum. f.55.a.b
Reprehensa diuisio magiæ in albam & nigram. fol. f.56.a
Indi pingunt dæmones albos. f.56.b
Dæmones Aquili nuncupati & vnde vox illa ibidem.
Cabalistarum figmentum de hircorum sacrificatorum, vno misso ad AZAZel dæmonem terrestrem, quem illi bonum asserunt. f. 57.a
Pythagoricorum sententia de viso dæmone ex Aristotele. ibidem.
Magi gloriantur se cogere dæmones ad obsequium, & quid Cabalistæ & Riccius de ea re. f.57.b
Expiationes magicæ quid. f.58.a
Chrysantius & Maximus Iuliani Apostatæ præceptores in rebus magicis. f.58.b

Maximi operationes magicæ. ibidem.
Chryſantij magica. f.59.a
Tegularia quid & Gloſſæ Iſidorj in illa voce emendatæ. ibidem.
Balſamonj quot ſint genera eorum qui artes magicas & maleficas conſectantur. ibidem. & f.60.a
Ex B. Baſilio diſtinctio. ibidem.
Hecatontarchæ ſeu Centuriones in magicis quinam ſunt Balſamonj. f.90.b
Trithemio quot genera maleficorum. f.61.a
De incubis & ſuccubis locus Bedæ. f.62.a
Magica ſacrificia & cœtus nocturni maleficorum colliguntur ex legibus Impp. & Paulo I.C. ibidem.a.& b.
Sacrificij nunc diabolo exhibiti quod argumentum. f.63.a
Thus Sacrificij nota ex varijs. ibidem.a.b
Chriſtianus Thurarius quis Tertullian. f.64.b
Ex Trithemio, quæ maleficæ ſe dæmonj dicant & deuouent. f.65.a
Pueri recens nati Diabolo ſacrificati & baptizati à maleficis mulieribus. ibidem.
In Eccleſia Orientali, Sarraceni pueros ſuos à Sacerdotibus Chriſtianis baptiſari curabant ad veneficia. f.65.b
Sarraceni pueros ſuos ſine duplici baptiſmo Chriſtiano abluendos offerebant. ibidem.

Gentiles pueros suos ritu Christiano baptisari cur voluerint ex Isidoro Pelusiota. fol. 66. a

Parentes reprehensi à B. Augustino quod pueros suos baptisatos Dæmonibus obligarent. ibidem.

Noui Orbis Incolæ nonnulli quo ritu pueros suos baptisent & vnde illud. ibidem.

Diabolum voluisse adorari à B. Martino, Abramio & Valente Anachoreta. f. 66. b. 67. a. b. & c.

B. Irenæi locus, de expetita adoratione à Diabolo. f. 68. b

Diuina permissio non legitima excusatio magis & maleficis. f. 68. b. 69. a

De pœnis magis & maleficis infligendis & horum distinctione. f. 69. a. b

Nouella Leonis A. in magos & maleficos cuiusuis generis. f. 70. a. b

FINIS.

Approbatio Doctorum.

NOs ſubſignati Doctores Sorbonici, fidem facimus perlegiſſe Librum hunc, cui titulus eſt, *De Idololatria Magica*: in quo nihil reperimus, quod fidei Catholicæ aduerſetur: imò plurima eſſe iudicamus legentibus vtilia, ob quæ prælo commiſſus publicæ vtilitatis cauſa in lucem edatur. Dat. Pariſ. 13. Febr. 1609.

M. AVBRY.

FROGER.

DE IDOLOLATRIA MAGICA DISSERTATIO,

IOANNIS FILESACI THEOLOGI Parisiensis.

Ad clarissimum virum
NICOLAVM CAMVSIVM TORSIVM,
Consiliarium Regium in supremo
Senatu Parisiensi.

§ I.

Scriptionis causæ.

SI quis fortè miretur, CLARISSIME CAMVSI, quod post tam multos tamque eruditos scriptores de magica impietate scribere aggrediar, huic si consilij mei ratio constiterit, mirari desinet. Dum tu me non ita pridem, & eo quidem tempore quo tranquillum erat & Alcedonia circum forum erant, comiter & benignè inuise-

res, incidit inter nos de Maleficis & Strigibus sermo, atque cum me id concoquere non posse dicerem, quod genus istud hominum, ad ceterorum pestem perniciemque natum, ita longè latéque per Galliam, vel potius Europam vniuersam vagari, atque adeò impunè grassari videremus. Opponebas contrà magni nominis viros quamplurimos, sic de tota ista re censere, vt longè plura ficta falsaque reperiri dicerent, quàm quæ ex ipsius rei veritate deprehendantur. Duo harum rerum capita duntaxat excussimus, vnum de Maleficorum & Strigum ad nocturnos illos & detestandos cœtus transuectione: Alterum de sacrificio quod Summano illi Plutoni seu Sathanæ exhibetur. Prius illud verissimum esse perdocti viri nostro æuo, ita demonstrarunt, vt si quis de eiusmodi transuectione dubitet amplius, is non modò in fide & religione Christiana peregrinus, verùm etiam iudicij rationisque parùm compos censendus erit. Verè siquidem de huius generis rationibus mihi scripsisse videtur Apuleius, istius disciplinæ non leuiter peritus, Milesiarum libro primo: *Minus callere eum qui*

prauissimis opinionibus ea putarit mendacia, quæ vel auditu noua, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitationis ardua videantur, quæ si quis paulò accuratius explorauerit, non modò compertu euidentia, verùm etiam factu facilia sentiet: De qua re postea videbimus. Postremum autem caput de Sacrificio Magico, nobis est nunc explicandum. At, inquies, ex eorum numero qui scripsere de rebus Magicis, scripsere autem nostris temporibus plus minus viginti, & in iis potentissimus Britanniæ Rex, alii qui hoc ipsum satis dilucidè & apertè pertractarunt. Verùm quis neget post messem spicilegium, post vindemiam racemationes, post cœnam dubiam analecta, post cæsam syluam recidiua supereſſe. Deinde qui hoc attigêre argumentum rem istam quasi plane exploratam perspectamque, & velut pro confesso habitam proposuerunt, adeò vt in ea diutius immorari noluerint. Sed quoniam ita comparatum est, vt caput hoc, quod in quæstione de Magis & Maleficis habenda primarium ad præcipuum esse debeat, ab ijs in controuersiam vocetur, quos minime dubitare necesse sit, eam ob rem quæ ab

alijs omissa, neglecta, vel obiter animaduersa, vt pluribus explicarem operæpretium duxi. Non hîc mihi de toto rerum Magicarum genere, nec vniuersim dicendi locus, & si lubens stylum stringerem in huius infelicissimi sæculi homines, qui eò vesaniæ prolapsi sunt, vt dæmones aliquos esse audacter pernegent, omnemque de illorum vi, facultate atque opera disputationem non pluris faciant, quàm inanes Præficarum Nænias, Plautique mortualia; Sed quid mirum si Sadducæos nostro æuo habeamus, cùm tot occurrant, quibus, vt cum Tertulliano lib. aduersus Psychicos loquar, *Deus venter est, pulmo templum, & aqualiculus altare*: Suntque eiusmodi qui & si Deum non negent, dispectorem planè, & arbitrum & iudicem non putent, vt habet Tertullianus libro de testimonio Animæ. Non probo equidem credulos istos, quibus mero meridie si dixeris tenebras esse credent, & ego vicissim odi Pyrrhonios istos, & qui supersedeant quidquam asserere, quorum opinor oculatæ sunt manus, credunt quod vident: Nollem ego vnius Apulei aucto-

ritate, libro itidem primo Metamorphoſeon, pro comperto affirmare hæc omnia reapſe Sagas efficere, nimirum cælum deponere, terram ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, Manes ſublimare, Deos infimare, ſydera extinguere, Tartarum ipſum illuminare: Addo etiam Magico ſuſurramine amnes agiles reuerti, mare pigrum colligari, ventos inanimos expirare, Solem inhiberi, Lunam deſpumari, ſtellas euelli, diem tolli, noctem teneri: Sed horum pleraque & fieri & ſenſibus percipi, non modo ſcriptorum fidè dignorum, quales ſunt Olaus Magnus, Saxo grammaticus, Crantzius, rerum Aquilonarium ſcriptores, & alij, lectio perdocet, quin & vſus atque experientia comprobat: quæ dum tantæ fidei auctoritate recenſentur, an homines iſtis craſſis auribus & obſtinato corde ſeſe ludificari dicent. At quoniam res iſta ſatis excuſſa, quod propoſitum eſt argumentum iam nunc perſequi placet, ea tamen lege, vt nullus rerũ æquus æſtimator vberiorem ac peritiorẽ diſſertationem à me expoſtulet, quàm aut otij mei, quod perexiguum eſſe norunt, qui

me norunt aut induſtriæ (tantillæne?) quandoquidem meo remigio rem geram, ratio patiatur. Sed quoniam id à me efflagitaueris, *Eruditiſsime Camuſi*, ſi tantiſper à recta quam inſtiteram via diuerto, ſi quid non ita cohærens aut concinnum videatur, id in primis rerum iſtarum tenebris, quamquam illas ſcriptorum ſuorum fulgore non pauci doctrina florentes diſpuliſſe conati ſunt, tum tumultuariæ operæ meæ tribuatur, quæ te tuique ſimiles bonarum litterarum columina & lumina, ad ignoſcendum propenſiores reddet. Noſti illud Floridi Madaurenſis; *Sic fermè aſſolet apud prudentes viros eſſe in operibus iudicatio reſecatior, in rebus ſubitarijs venia prolixior.*

§ 2.

Propoſita controuerſia, ab ea rationes, diſtectæ, quid Diabolus ligatus.

VT certa quadam via atque ordine, noſtra deinceps progrediatur oratio, qualis ſit propoſitio excutienda imprimis conſtituenda eſt. Aiunt poſt Chriſti ortum ſalutarem,

diabolo nullum exhibitum ſacrificium, Deo ita obſiſtente, & ſacra ſcriptura proclamante Ioann. 12. Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, Addi opportuit ex Prophetis vaticinia, non pauca de diaboli imperio per Meſſiam funditus euertendo. Et certè Apocalypſ. c. 20. Angelus apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni. Non negant credo, ad Conſtantinum Maximum vſque, in Imperio Romano, aut etiam Iuſianum Parabatam, veterem illam & priſcam Idolomaniam perduraſſe, quæ non multò poſt ſub Iouiniano, Valentiniano & reliquis Chriſtianis Principibus, ſenſim extingui cœpit, nec niſi inter Magicæ diſciplinæ conſcios conſeruata, vt poſtea dicemus. Verùm quis ſit germanus ſenſus huius loci in B. Ioannis Euangelio nunc videamus. Mitto B. Auguſtinum & plures alios, vnuſque B. Cyrillus Alexandrinus ſatis erit, qui lib. 8. Comment. in B.

Ioannem, c. 16. docet mundi nomine hîc designari improbos homines & flagitiosos prauis cupiditatibus obnoxios & indulgentes, Christum autem præuidisse post Passionem & glorificationem suam per vniuersum orbem multos populos credituros, in quorum cordibus Diabolus inhabitabat, sedemque posuerat, & cùm ipsi ad Christum conuerterentur, fidem illius amplexi Diabolo renunciarent, tum denique is ipse eijceretur foràs. Quærit autem B. Cyrillus, nunquid Diabolus de cordibus veterum iustorum scilicet Patriarcharum, Propherarum, & similium, ejectus fuerit foràs, & tamen à Christo eijciendus tunc dicatur: Respondet tunc in hominibus pauciſſimis id factum esse, at modo in multis magnisque populis id iam faciendum. At, quæ ad nostram disputationem magis faciat, aliam subiungit quæstionem, quid sibi vult istud Diabolum nunc eijci foras, ac si neminem tentet, imò longè acrius tentare non cesset, vno verbo absoluit. Diabolum non vt anteà intrinsecus & in animis regnare, at solummodo tunc temporis ex-

trinſecus nos omnes fideles oppugnare. Simili rem illuſtrat, hoſtis, mœnibus vrbis excluſus non ceſſat arietibus & machinis quatere muros, quo ſibi aditum perfringat ingreſſumque patefaciat. Beda totum hunc locum B. Cyrilli tranſcripſit paucis additis, Iſidorus Peluſiota Epiſtola 164. ad Heraclidem Presbyterum, diabolum foràs eiectum, exponit prius illud Diaboli ipſius regnum à diuina Chriſti potentia ſic euerſum eſſe, vt illud idem poſthac nullo modo amplius obtinere poſſit. B. Bernardus inſignis pietate & elegantia, hunc locum illuſtrat eleganter ex ſimilium collatione, quandoquidem in nouo Teſtamento, mors & peccatum non minus à Chriſto ſuperata dicuntur, quàm diabolus foras eiectus, attamen illa non minus in homines deſæuiunt quàm ante Chriſti beneficium acceptum. Pręſtat B. Bernardum audire ſermon. in tranſitu S. Malachiæ. *Fortaſſe quis dicat: Quomodo mors à capite ſuperata videtur, quæ tanta adhuc libertate ſæuit in membra? Si victa, quomodo adhuc prævalet vniuerſis, & non eſt homo qui viuat & non videat mortem? Victa plane mors o-*

pus diaboli & peccati pœna, victum peccatum causa mortis, victus & malignus ipse & peccaci auctor & mortis. Nec modo victa sunt hæc, sed & iudicata iam & damnata: diffinita quidem sed nondum promulgata sententia est. Denique iam diabolo ignis paratus, & si nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cælestis opificis, factus est malleus vniuersæ terræ. Terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis ergo Paterfamilias, tales & domestici eius peccatum scilicet & mors. Nam & peccatum licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso, dum viueret, Apostolo permittebatur: Sic & mors ipsa minime quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Ex iis apparet quid significet Draco ille in abyssum missus ligatusque per annos mille, hoc est ad Antichristi vsque tempora, vt Patres exponunt. Non quod fideles ab eius infestatione immunes & securi existant, sed vt loquitur B. Augustinus libro 20. de Ciuitat. Dei. c. 8. *Alligatio Diaboli est, non permitti exercere totam tentationem quam potest, vel vi, vel dolo, ad seducendos homines, in partem suam cogen-*

do, violenter, fraudulenterue fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deijceret, & ne crederent impediret. Quod ne faceret alligatus est. Tunc autem soluetur quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur totis suis suorumque viribus sæuiturus. Denique Patres reliqui in huius loci interpretatione cohibitam diaboli potestatem Christi aduentu fatentur. Vnde B. Augustinus Epistola 107. ad Vitalem Carthaginensem explicans parabolam illam de forti armato custodiente atrium suum, quæ extat Lucæ 11. *Mediator*, inquit, *intrat in domum fortis, id est in suo dominatu habentis genus humanum, & prius alligat eum, id est eius coercet & cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa eius quæcunque prædestinauit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, vt illo non impediente credant in istum libera voluntate.* B. Irenæus, hanc B. Augustini sententiam de electis & prædestinatis Christi beneficio à diaboli potestate plane liberatis, firmare videtur lib. 5. c. 24. *Quoniam*, ait, *per hominem traducta est apo-*

ſtaſia eius, & examinatio ſententiæ eius homo factus eſt, adhuc magis magiſque ſemetipſum contrarium conſtituit homini inuidens vitæ eius & in ſua poteſtate apoſtatica volens concludere eum. Omnium autem artifex Verbum Dei per hominem vincens eum & apoſtatam oſtendens, è contrario ſubiecit eum homini. Ecce, dicens, do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, aut quemadmodum dominatus eſt homini per apoſtaſiam, ſic iterum per hominem recurrentem ad Deum euacuetur apoſtaſia eius. Eſt & illud hoc loco B. Irenæi notandum, quod ait diabolum magis ac magis homini aduerſari, poſtquam eſt ex illa prioris tyrannidis arce Chriſti virtute deturbatus. B. Gregorius in Iob. comm. lib. 34. c. 1. illud & comprobat & rationem cur id fiat ſubijcit. *Vnde*, inquit, *extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur, quia tanto fit feruentior ad ſæuitiam, quanto ſe viciniorem ſentit ad pœnam.* B. Bernardus eodem pacto, ſermone ad Paſtores in Synodo, *Multis modis*, inquit, *perſecutus eſt Eccleſiam diabolus, ſed nunquam grauius quàm hodie, quia nunquam fuit maior perditio Chriſtianorum, nec liberior aut ſecurior tranſgreſſio diuinorum*

præceptorum. Eccleſiam incipientem perſecutus eſt per Tyrannos, proficientem perſecutus eſt per hæreticos, iam lætam & florentem perſequitur per motus illicitos. Tria ſunt in anima, Ratio, voluntas, ſenſualitas, rationis eſt iudicium, voluntatis deſiderium, caro debet obſequium, carnem ergo cruciauit in Martyribus, rationem perturbauit in ſimplicibus, ſed voluntatem hodie depraua generaliter in omnibus. Non tamen tam aperta vi, vt anteà: ſed ſubtilioribus dolis & artibus, acriores & vehementiores tentationum faces admouet, à quibus etiam electi non ſunt immunes, ſed diſſimili & diſpari exitu improborum, in quos vt pote ſui ſimiles immanem exercet tyrannidem. Quod eleganter paucis verbis explicat B. Auguſtinus libro de Geneſi ad litteram. c. 12. *Sub diuina prouidentia ipſe diabolus ſuam quidem habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non niſi quæ datur, vel ad ſubuertenda ac perdenda vaſa iræ, vel ad humilianda ſiue probanda vaſa miſericordiæ.* Et de tentatione piorum, ſic B. Bernardus libro de Modo bene viuendi, c. 67. *Nunquam ſerui Dei tentationes diaboli ſuſtinere potuiſſent, ſi nequitiam eius pietas Dei non temperaret vel re-*

frænaret. Alioquin, vt plurimum obſeruare licet diabolum in viris probis exagitandis technas varias, doloſque nectere, magis quàm vim & impetum manifeſtum adhibere. Si quidem B. Bernardo ſcribente ſerm. 33. in Cantica. *Seductorij ſpiritus ſedent in inſidijs, & parant ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* At ille idem B. Bernardus ſic ſeipſum explicat, ſermone quodam in die S. Andreæ. *Habet*, inquit, *nequiſſimus ille laqueos, habet & iacula, vtpote callidiſſimus venator hominum ſolum ſitiens ſanguinem animarum. Alios telis appetit malitioſæ cuiuſlibet ſuggeſtionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis eſt patientia: Alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copioſam eorum quæ in terra repunt aut volitant iuxta eam.* Sed omnium venuſtiſſime diaboli præſtigias in fidelibus ventilandis deſcribit B. Ephræm ſermone exhortatorio ad fratres: *Caueamus*, inquit, *eius inſidias, quoniam per eas aduerſum nos decertat, ne dum nos velut ex omni parte ſecuros ducimus, ipſe ſibi ingrediendi locum inueniat. Si enim tanquam leonem firma murorum communitione ipſum arceamus, tanquam cæci efficitur, vt*

propter vilitatem eum minimè deuitemus. Si vt canem excludamus, voluris instar per fenestram ingreditur. Metuimus eum dum Aquilam se exhibet, & mox passerculus apparet. Eijcimus vt coruum, velut apis insilit: Cumque in omnibus cognouerimus eum, tunc in culicem sese transformans, non exigua nos iniuria afficit. Satis hactenus de diabolo ligato, hoc est cohibita & repressa eius à Christi beneficio potestate dictum est, nunc inquirendum vnde illa diaboli potestas, & quàm longè latéque sese extendat videndum: hinc non modò Sagarum vsitata transuectio, verum etiam Magicorum operum mira effectio facillimè comprobabitur, ac denique de diaboli cultu Magico & sacrificio illi exhibito, pro institutæ disputationis negotio quid sentiendum sit satis euidenter constabit.

§. 3.

Diaboli poteſtas duplex & cuiuſmodi, Canon Ancyranus excuſſus.

DIabolo vires maximas ineſſe vel ex ſuæ naturæ præſtanti conditione, nemo cui pectus ſapiat negabit. Vulgare illud Iobi c. 41. Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeat, omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Et quidem beatus Auguſtinus libro 3. de Trinit. c. 4. ex ipſius vniuerſi per diuinam prouidentiam diſtributione demonſtrat quid valeant dæmones. *Quemadmodum*, inquit, *corpora craſſiora & inferiora, per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vitæ rationalis deſertor atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem pium & iuſtum, & ille per ipſum Deum, ac ſic vniuerſa creatura per Creatorem ſuum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atque inſtituta eſt.* Ex ea B. Auguſtini

guſtini ſententia & ſimilibus, noſtri Theologi duplicem agnoſcunt in dæmonibus poteſtatem: Vnam intrinſecam & naturalem, alteram extrinſecam, quæ duplici modo conſideratur, aut ſi opportuna non defuerit materia in quam ipſi vires ſuas exerant, aut ſi nullus illis obſiſtat. Quemadmodum homini à natura pedes ſunt attributi, quibus valet & progredi & ambulare: ſed & certo præterea interuallo ac ſpatio eſt opus: deinde non ipſe in robore & cõpedibus degat, vel aliquo morbo ſontico diſtineatur. Iſta in dæmonibus cernimus, qui ſi aptam reperiant rei alicuius efficiendæ materiam, & inſuper nulli obſiſtant boni Angeli, quid non præſtabunt & conficient? Epheſiorum c. 2. Mundi rectores appellantur. Apocalypſ. 7. dicuntur tenere ventos, & accepiſſe poteſtatem nocendi terræ, mari, & arboribus: & c. 14. poteſtatem habere ſuper ignem. Ac ſummus illorum ab Apoſtolo loco citato Epheſior. 2. appellatur Princeps poteſtatis aëris huius: quin 2 Corinth. 4. nominatur Deus huius ſæculi. Quanquam

B. Irenæus libro 3. c. 7. locum hunc aliter diſpungat quàm noſtri Latini, & quidem hoc pacto, Deus excæcauit mentes infidelium huius ſæculi, ac hyperbaton Apoſtoli ſic concinnat, & nos amplius inquiremus § ſequente: ſed B. Cyrill. & Ambroſius in hunc locum nuda & ſimplici conſtructione diabolum hoc loco ab Apoſtolo, Deum huius ſæculi dici volunt, non aliter quàm Princeps huius mundi appellatur Ioann. 12. vt dictum eſt. Eodem ſenſu Principes ſæculi 1. Corinth. 2. Angelos interpretatur B. Baſilius in c. 10. Eſaiæ Prophetæ, qui & ad diabolum, ceterorum ducem ac Principem hæc Eſaiæ refert. Sicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam & aperiret os & ganniret. Pollicetur, ait hoc loco B. Baſilius, ſe orbem vniuerſum pertrahere poſſe ſub ſuam ditionem. B. Gregorius lib. 34 Moralium c. 17. cuiuſmodi ſit naturalis iſta diaboli poteſtas, ita exprimit. *Poteſtas eius ſuper terram, cunctis eminentior perhibetur, quia & ſi actionis ſuæ me-*

rito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ Angelicæ conditione transcendit. Quamuis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen ſuæ magnitudinem non amiſit, cuius adhuc viribus humana omnia ſuperat; licet ſanctis hominibus meritorum ſuorum deiectione ſubiaceat. Tertullianus & dilucidè & eleganter totam hanc diſputationem concludit, libro de fuga in perſecutione, adhibita diſtinctione poteſtatis quam habet diabolus, quarum vna propria ſit, quam in infideles pro arbitrio ſuo exerat. Altera, vt noſtri loquuntur, permiſſiuà quà erga fideles tantùm vtatur, & quatuor quidem de cauſis, Deo ita volente, iubente, nimirum Probationis, Reprobationis, Humiliationis vel Emendationis gratia. Quidni Tertullianum tantiſper audimus: *Habere videtur Diabolus propriam poteſtatem, ſi fortè in eos qui ad Deum non pertinent ſemel in ſtillam ſitulæ & in puluerem areæ & in ſaliuam nationibus deputatis à Deo, ac per hoc Diabolo expoſitis, in vacuam quodammodo poſſeſſionem. Ceterum in domeſticos Dei nihil illi licet ex propria poteſtate, quia quando liceat, id eſt ex quibus cauſis, exempla*

in ſcripturis ſignata demonſtrant. Sed addere debuit Tertullianus, Diabolum pro libidine etiam impios & infideles diuexare & perdere non poſſe, niſi à Deo accepta facultate & venia, vt poſtea ex Patribus agnoſcemus. Non quæro ſpeciatim quid poſſit Diabolus in intellectum, voluntatem ceteraſque animæ hominis potentias, addo & corpora, id ex D. Thoma 1. p. q. 110. & de Malo q. 16. articul. 10. tum ex alijs Scholaſticis à non paucis ſcriptoribus harum rerum, abundè expoſitum eſt. Sed quæro hoc loco, in genere quid poſſit ſuæ naturæ viribus, quod cum è ſcriptura ſacra & Patribus ſatis apertè monſtrauerimus, nullus poſthac, qui ratione ducatur, ambigere poterit, quin diabolus facili negotio homines ab vno in alium locum etiam longè diſſitum tranſuehere & adſportare queat. Conſtantiſſimè veterum Patrum doctrina iſtud docent Theologi omnes, naturalia dona ſeu naturales facultates & perfectiones in dæmonibus poſt caſum remanſiſſe, quo vno proloquio & effato, præter ea quæ præſertim ex beato Gregorio adduximus, omnis ſi quis ſuperſit ſcru-

pulus ex animis hæſitantium iſtorum funditus euelli & extirpari debet. Taceo bonum Angelum, illa ſibi indita virtute, Habacuch Prophetam à Iudæa in Babyloniam ad Danielem tranſuectum. Omitto Iudæorum veterem illam doctrinam fuiſſe, vnde cùm raptus eſſet ex hominum conſpectu Helias, Hæliſæo filii ſeu diſcipuli Prophetarum omnem pollicentur operam in quærendo Helia illius magiſtro. *Ne fortè*, inquiunt, *tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium.* Id ſi factum fuiſſet, vt illi ſuſpicabantur, non dubium quin miniſterio Angelorum id effectum. Eiuſdem generis illud eſt quod ſcribitur Actor. 8. Spiritus Domini rapuit Philippum à via quæ deſcendebat ab Hieruſalem in Gazam, & inuentus eſt in Azoto. Non expreſſit Scriptura, an Philippus cum Eunucho Gazam peruenerit, an illo ipſo itinere, quod verbis Scripturæ magis conſentaneum, in Azotum adſportatus fuerit, quo raptu breuiſſimo tempore, vel forſan momento, ſupra quadraginta milliaria confeciſſe dicetur Philippus. Qui in iſto argumento,

quod nunc occurrit, verſati ſunt, omnes, præter illa ſuperiora quæ repetere mihi neceſſariũ viſum eſt, vrgent exemplum Chriſti à diabolo & in Templi pinnaculum & in montem excelſum tranſuecti: quod quidem poſtremum ita ſtringit fluctuantium iſtorum animos, vt ſtatim ad diuinam permiſſionem recurrere cogantur. Quod cùm ita ſit, quis amplius dubitet diabolum hæc & multò plura præſtare poſſe, ſi modò id ſinat diuina prouidentia. Toties decantatus ille Canon Ancyranus, cuius neque pes neque caput comparet, ſiue in Conciliorum editis Canonibus, nam appendices nihil moror, ſiue in corpore Canonum, nec Græci agnoſcunt, & tamen à Burchardo libro 10. c. 1. & Iuone relatus, & ſatis prolixè p. ij. c. 30. tum à Gratiano, apud quem multa ſine authore, omnem illam de tranſuectione dubitandi materiam ſuppeditauit. Concilij Agathenſis extat Canon, citante Iuone p. 11. c. 54. nam nec inter editos Canones recenſetur, eodem plane ſenſu. *Si aliqua eſt femina quæ ſe dicat cum dæmonum turba in ſimilitudinem mulierum transformata certis noctibus,*

aliàs, nocturnis horis, equitare ſuper quaſdam beſtias & in eorum conſortio annumeratam eſſe, hæc talis omnimodis ſcopis correcta ex paræcia eijciatur. Non nego Ioannem Sarisberienſem libro 2. Policratici c. 17. eandem pene ſententiam referre, ſed quoniam locus ille à nonnullis ſollicitatus, ego illum tuebor & illuſtrabo. Sic autem, *De ijs quæ à Sagis & Magis narrantur quæque in ſpiritu patiuntur, & tamen miſerrimè & mendaciſſimè credunt in corporibus euenire. Quale eſt quod nocticulam vel Herodiadem, vel præſidem noctis dominam, & conſilia & conuentus de nocte aſſerunt conuocare, varias celebrari conuiuia, diuerſis occupationibus exerceri, & nunc iſtos ad pœnam trahi, pro meritis, nunc illos ad gloriam ſublimari. Noctilucam* non *Nocticulam* lego, & quidem Macrobij auctoritate, libro 3. Saturnal. c. 8. ex Læuino. Et illa alma Noctiluca, quæ hîc memoratur, non alia quàm Luna, quæ priſcis eadem cum Diana, cuius diſertim mentio fit in illo Canone Ancyrano. Gloſſæ veteres ab Henrico Stephano ita legunt Nocticula Ἑκάτη νυκτοφαίνουσα *Nocti-*

culæ pro *Noctiluca*, & ipſa interpretatio Græca id firmat. Pro *Herodiade* ſunt qui reponunt *Heroidem*, & id à mala manu eſt, nam conſtanter Gratianus & Sarisberienſis legunt *Herodiadem*, & illud interpretamẽtum heroides ἡρῳάναι fruſtra eſt. Interim dum de ea re diſſerit Petrus Bleſenſis Epiſtola 65. & ad Canonem iſtum Ancyranum alludens legit, *Homodianæ*, corrupta proculdubio voce, cum *Herodiades*, vel *Heræ Dianæ*, vera & germana ſit lectio. Verùm vt & nos aliquid de iſto Canone dicamus, quæ ex Sarisberienſi adduximus ea ſatis demonſtrant, multa à Sagis vel potius à dæmonibus fingi, qualia ſunt illa de Diana, de herodiade, de conuiuijs, qualia Plautus in Pſeudolo indicat, actus 3. Scen. Forum. *Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus viuis conuiuis inteſtina quæ ecedunt*, tum ſpeciebus & miniſterijs, de illa gloriæ beatitate: ſed hæc nihil ad tranſuectionem, quæ non minus reipſa & verè contingere dicetur, etiam ſi cetera dæmon præſtigiatoriè obijciat. Petrus Bleſenſis qui eodem tempore vixit quo Ioannes Sarisberienſis Epiſtola 65. *Dæ-*

mones assumunt, inquit, *corpora mulierum de nocte, quæ heræ Dianæ dicuntur, quæ mulieres hæc opinantur, eis tamen nulla fides adhibeatur, licèt enim sæpe vera pronuncient, sæpius tamen & periculosius mentiuntur.* Postrema hæc clausula non omnia quæ de ijs feruntur, falsa esse declarant, licèt multò plura fingant. Si quidem fatemur Strigibus & Maleficis multa euenire, non tam reipsa quàm imaginariò & fantasiæ illusione, veteratoris istius Orcini præstigijs, sed omnem idcirco actionem diaboli circa Sagas & Magos imaginariam esse qui crederet, non posset hæc res ellebori iugere obtineri. Adi B. Epiphanium, & vide hæres. 30. contra Ebionęos, istam Magicam transuectionem adumbratam, tum & Apuleium huic disciplinæ suo magno malo initiatum, libro 3. Milesiarum, vbi Pamphiles insignis Sagæ, vxoris hospitis sui transformatiouem & transuectionem mellitis verborum globulis describit. Marinæus Siculus Decadis prioris de rebus Siculis libro 3. narrat Diodorum quemdam, quem vulgus Liodorum vocabat, Magum insignem Catanæ extitisse, qui potenti

carminum ſuorum vi, homines in bruta animantia conuertere, omniumque ferme rerum formas, in alias & inuſitatas transformare, longiſſimiſque à ſe ſpacijs diſſitos homines repentè ad ſe attrahere videbatur. Is cùm capitis reus cruci tradendus eſſet, vi cantaminum præſentiſſima, è Catana Byzantium, cuius imperio eo tempore Sicilia ſuberat, & rurſus è Bizantio Catanam, lictorum manibus dilapſus, paruo temporis interſtitio par aera ſe deuehi iuſſit. Sed tandem à Leone Catanenſi Epiſcopo diuina virtute ex improuiſo captus, frequenti, in media vrbe populo, in fornacem igneam coniectus incendio abſumptus eſt. Vnus omnium copioſſimè in iſto Canone explicando verſatus eſt Albertinus Tractat. de agnoſcendis aſſertionib. Catholic. q. 24. è quo quid non ſunt mutuati qui Canonem iſtum interpretari voluerunt nuperi iſti ſcriptores, tacito illius nomine? Sed vt tandem è diuerticulo in viam redeam, quid aut quantum efficere valeat Diaboli potentia, his veluti diuinæ iuſtitiæ, bonitatis, & ſapientiæ, frænis cohibita & coercita, paucis ex-

plicemus. B. Auguſtinus varijs locis dæmonum vires dum auget ſimul & hanc adhibet prȩcautionem, ſcilicet Dei permiſſionem, nec idcirco illos creatores exiſtimandos, licet mira efficiant, & quo pacto hæc fiant & quo fine docet. Ita enim libro 3. de Trinitate, c. 3. poſtquam narrauit Magos Pharaonis defeciſſe in tertio ſigno, quando quidem Cyniphes, id eſt muſculas breuiſſimas producere non potuerint exemplo Moſis, ac tum exclamaſſe, Digitus Dei eſt hîc, concludit. *Vnde datur intelligi nec ipſos quidem tranſgreſſores Angelos & aëreas poteſtates, per quas Magicæ artes poſſunt quidquid poſſunt, valere aliquid niſi data deſuper poteſtate. Datur autem vel ad fallendos fallaces ſicut in Aegyptios & & in ipſos etiam Magos data eſt, vt in eorum ſpirituum ſeductione viderentur admirandi à quibus fiebant, à Dei veritate damnandi, vel ad admonendos fideles ne tale aliquid facere pro magno deſiderent, propter quod etiam nobis Scripturæ auctoritate ſunt prodita, vel ad exercendam, probandam, manifeſtandamque iuſtorum patientiam.* Paulo poſt addit. *Nec ideo putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum ma-*

teriam, ſed Deo potius à quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi & ſpirituali ſede incommutabilis iudicat. Poſtea confert beatus Auguſtinus dæmones cum ijs qui ad metalla damnati ſunt, quibus in metallo & fodinis ſeruiunt aqua & ignis & terra, vt faciant inde quod volunt, ſed quantum ſinitur. Eleganter c. 8. hæc ſubiungit. *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinſecus adhibitis motibus iſta creanda Dei virtus interius operetur: ita non ſolum malos ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones. Sed nec boni hæc, niſi quantum Deus iubet, nec mali hæc iniuſtè faciunt, niſi quantum iuſtè ipſe permittit. Nam iniqui malitiâ voluntatem habent iniuſtam, poteſtatem autem nonniſi iuſtè accipiunt, ſiue ad pœnam ſuam, ſiue ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.* Poſtremam hanc B. Auguſtini ſententiam deſcripſerunt B. Gregorius, & beatus Bernardus, ille comment. in Iob lib.

18. c. 3. *Omnis voluntas Diaboli iniusta est, & tamen, permittente Deo, omnis potestas iusta. Ex se enim tentare quoslibet iniustè appetit, sed eos qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, nonnisi iustè tentari Deus permittit.* Hic vero libro de Modo bene viuendi c. 67. ijsdem pene verbis: *Quamuis diabolus semper cupiat tentare seruos Dei, tamen si à Deo potestatem non accepit, non potest implere quod quærit. Vnde & omnis voluntas diaboli semper est iniusta, sed tamen permittente Deo, iusta est potestas eius.* In eam rem paulò post Bernardus explicans locum 1. Reg. 18. vbi scribitur quod inuasit Spiritus Dei malus Saul. *Spiritus*, inquit, *malus erat per malam voluntatem, & idem Spiritus Domini erat per acceptam iustissimam potestatem.* Verum dum hæc postrema verba sententiæ allatę B. Augustini, ex aliorum & similium collatione explano, illud penè mihi exciderat quod eo loco cuipiam negotium facessere posset dum ait dęmones subtilitate sui sensus corporis nosse ea quæ nobis occultiora sunt, ac si vir iste Sanctissimus dæmones corporeos esse affirmet. Et licet locis quamplurimis, & ipso quidem 3. de Trinitate, inter spiritales libro

creaturas numeret dæmones, mirum videbitur cur corpora illis adtribuat niſi quod vt libro 2. quæſtion. de Geneſi ad litteram c. 13. Dæmones corpus aëreum habere ſcribit, Platonicus videri voluerit, & certè Platonicis, quibus ipſe plurimum tribuebat, ita viſum eſt, de qua re alij & nos manum ſubducimus.

§. 4.

Diaboli perpetua voluntas ac ſtudium in Dei nomine & cultu expetendo ac procurando.

ESaiæ 14. quàm audacter, quàm elatè, Spiritus ille Princeps è mùltis, *In cælum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium, ſedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis aſcendam ſuper altitudinem nubium ſimilis ero Altiſſimo* : Scite Tertulian. lib. 2. aduerſus Marcion. Luciferum & eminentiſſimum Angelorum & Archangelorum & ſapientiſſimum omnium appellat, ſed Ezechielis verba de illo vſurpans. *Ex qua die conditus es cum Cherubin po-*

fuiſti in monte ſancto Dei, fuiſti in medio lapidum ignitorum, fuiſti inuituperabilis in diebus tuis ex qua die conditus es, donec inuentæ ſunt læſuræ tuæ de multitudine negotiationis tuæ. Promas tuas depleſti & deliquiſti. Infeliciſſimus plane Apoſtata, qui tanto faſtu & arrogantia elatus vt de erciſcundo diuinitatis imperio cum ſuo Creatore ageret. Ita enim B. Gregorius lib. 29. in Iob. comment. c. 6 *Solus altiſsimus ita dominatur ſuper omnia vt alteri ſubeſſe non poſſet, quem Diabolus imitari peruersè voluit cum ſuum Dominum quærens ei ſubeſſe recuſauit. Dominium* hoc loco reponendum & expungendum τὸ *Dominum* quilibet vel parum oculatus aduertit. Eodem pacto illud idem exprimit lib. 34. Com. in Iob. C. 17. *Leuiathan iſte eius celſitudinis, ſcilicet Diuinæ, culmen aſpiciens ius peruerſæ libertatis appetiit vt & præeſſet ceteris & nulli ſubeſſet; Cuius eo ipſo ſimilitudinem perdidit, quo eſſe ei ſuperbè ſimilis in celſitudine concupiuit.* Ego hîc minutias non diſquiro, an revera diuinam æqualitatem ambierit, aut qualis iſta ſimilitudo & æqualitas cenſenda ſit, & in quo conſtituenda, hæc enim ſunt alterius loci, ſed grauiſſimo lapſu ſuo & infelicitate

multo magis ferocientem magisque turgidum & tumentem spectemus. Ezechielis. c. 28. sub nomine Principis Tyri describitur Diaboli arrogantia eiusmodi. *Hæc dicit Dominus Deus eo quod elevatum est cor tuum & dixisti Deus ego sum & in Cathedra Dei sedi in corde maris*. Theodoretus ad hunc locum ait Diabolum in hanc insaniam lapsum & rabie adeò percitum esse, vt seipsum Deum appellaret, hominibusque vt diuinum cultum sibi exhiberent persuasisse. Et quidem eò dementiæ progressus est vt etiam à Christo Seruatore pro Deo adorari voluerit Math. 4. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me*, aut vt habet B. Lucas c. 4. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*. Sed post salutarem Christi Seruatoris incarnationem diabolum ab ista captandæ diuinæ existimationis & cultus diuini insania non cessasse, declarant veteres Christiani scriptores. Vnicum testem proferam B. Iustinum martyrem apud Andream Cæsarienſem c. 34. Apocalyps. serm. 12. qui ait post Christi aduentum, diabolum magis blasphemum fuisse in Deum quàm

quàm antea, & multo apertius. Sed illud in primis obſeruandum, aureo illo naſcentis Eccleſiæ ſæculo diabolum cùm plurimos haberet adhuc ſui & admiratores & ſectatores, verſipellem ſe quando lubebat ſæpius feciſſe, vnde Tertullianus Apologetic. c. 23. ſcribit diabolum à quolibet Chriſtiano iuſſum loqui, ſe dæmonem eſſe confiteri ſolitum, at verò interrogatum ab aliquo Ethnico, Deum ſe prædicare. Sed dum hiſtrioniam facit, verſutus, ipſos fallere nequiuit Chriſtianos, ſi quidem Tertulliano teſte libro de teſtimonio Animæ. *Soli Sathanam nouêre Chriſtiani.* ad quod alludit B. Auguſtinus Epiſtola 5. ad Marcellinum, ſcribens doctrinam Chriſtianam Angelos ſanctos à dæmonum malignitate diſtinxiſſe. Idem etiam Tertullianus libro de Anima. *Spiritalia nequitiæ non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia nominis Chriſtiani, nec imitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus, multiformem lucem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatorem.* Et certè Tertullianus ipſe Apologetic. c. 23. vrget Ethnicos vt ipſi agnoſcant tandem

diaboli vertutiam, qui non aulus mentiri adiuratus à Christiano, qualis sit re vera fateri cogatur, sed impudenter se Deum prædicet apud ipsos Ethnicos: At inquit Tertullianus: *Magis fides prona est aduersus semetipsos confitentes, quàm pro semetipsis negantes.* Verùm ne ipsi Ethnici exciperent etiam Dabolum à Christiano adiuratum, mentiri dum se dæmonem confiteatur, eleganter illud opponit Tertullianus; *Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem.* Sed quoniam in Tertulliano sumus, locum illius subobscurum de hac quæstione lubens explicarem, saltem coniecturam meam proponam: extat autem lib. de Anima, vbi diaboli fallaciam à Christianis frequenter detegi narrat. *Cùm*, inquit, *in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem sui adfirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarum, sicut & alibi Deum.* Postrema hæc, cuipiam eò referenda videbuntur, quò spectant & superiora: Indicat verò quod in obsessis & energumenis, vel denique idolis responsa dantibus dæmon adiuratus quis esset, aut defuncti a' cuius parentis, aut gladiatoris, vel damnati ad be-

ſtias animam ſe renunciabat, aut Deum. Et certè ſuprà conſtanter negauit Tertullianus diabolum adiuratum à Chriſtiano mentiri, tamen Deum ſe eſſe nunquam apud exorciſtam Chriſtianum proloqui auſus eſſet, quod in Apologetico & hoc libro de Anima ſæpius inculcat Tertullianus. Itaque quod ait diabolum alibi ſe Deum prædicare hoc ad Ethnicos pertinet, & ipſe Tertullianus Apologetic. c. 23. ſatis dilucidè iſtud exprimit cùm ait. *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet, iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui. Spiritus ille tàm ſe Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.* Diſcrimen hoc erat quod Dæmon, exorciſmis, &, vt ſuprà ex Tertulliano adnotatum, expugnatoria dominatione, Dæmonem ſe eſſe inuitus fatebatur, ſed nulla vis eiuſcemodi apud Ethnicos: Vnde probare non poſſum Iuriſconſulti alioquin valde docti ſententiam, qui ad L. 1. ff. de extraordinar. cognition. ſcripſit exorciſandi ritum, etiam apud Ethnicos vſitatum, citatque Tertullian. locum libr. de Idololatria. Sed contrarium euincit locus ipſe Tertullian. vbi

ſolis Chriſtianis exorciſandi poteſtaſtatem vindicat. Loquitur enim de Chriſtiano, qui arte ſua vel profeſſione, aut negotiatione aliquid formandis Idolis adminiſtrauerit. *Quæ conſtantia*, inquit, *exorciſabit alumnos ſuos quibus domum ſuam cellarium præſtat.* Vocat autem dæmones, alumnos illius Chriſtiani, quia idola in quibus dæmones inhabitare dicebantur, aut pinxerit aut finxerit aut venalia expoſuerit. Sed pergamus, diabolum diuinæ maieſtatis Simiam agentem apertius adhuc patefacere. Cùm iam Chriſti fides in dies magis ac magis propagaretur, dæmonumque potentia paſſim à Chriſtianis traduceretur, tum vix dæmones palam & publicè ſe deos prædicabant, at in Magia in quam vt tutiſſimam arcem ſeſe receperant, audacter Deos ſe profitebantur, quemadmodum refert Tertullianus libro de Anima : Quanquam poſtea diabolus nihil omiſerit eorum quibus diuinitatis opinio aliqua in hominum animis ingenerari poſſet, ijſque præſtigijs, diuinum cultum apud inſanos illos ambitiosè conſectaretur, quin ad finem vſque eo morbo laboraturum ſcri-

ptura commemorat. Apocalypſ. c. 13. nouiſſimis illis diebus S. Ioannes futurum ait, vt ab Antichriſto, vel potius à diabolo, Antichriſtum inhabitante, dementati homines falſis editis miraculis adorent Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ ſiue Antichriſto: Et quod B. Paulus 2. Theſſalonicenſ. c. 2. dixit de Antichriſto, quod filius iſte perditionis extolletur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, id etiam ad diabolum refert B. Ambroſius in hunc locum ijs verbis: *Sathanas in homine id eſt Antichriſto apparebit, vt virtutibus mendacij oſtendat ſe Deum.* At dicent ſoluendum eſſe tunc temporis diabolum itavt Deo ſic volente omnem ſuam exerat poteſtatem. Verùm nullo vnquam tempore diabolum non ſe pro Deo iactaſſe indubitatum eſt, non tamen ita apertè & impudenter vt in mundi fine, ſed pro ſua calliditate & vafritie, artes quaſdam excogitauit quibus ante Chriſtum hominum animos faſcinaret, quas etiam poſt Chriſti ortum, eaſdem omnino adhibuit ad incautos magis & rudiores euertendos, illud autem diſcriminis inter vtrumque

tempus ante & poſt Chriſtum natum dignoſcitur, quod antequam Chriſtus in carne apparuiſſet, diabolus, ſtatuis ſeu idolis, & ceremonijs ſiuè ritibus ſacris, atque hominibus ſibi obnoxijs, vtpote Magis, Aruſpicibus & ſimiſibus vteretur ad ementitam illam diuinitatem ſuam aſſerendam. De hominibns dicemus ſequenti capite, de idolis verò quàm multa multi veterum ſcripſêre, & ratum illud fixumque Ethnicis, ſuorum Deorum ſiue dæmonum idolis & ſtatuis diuinitatem ineſſe, veluti docet Clemens Alexandrinus libro 6. Stromat. & in Protreptic. & Euſebius lib. 4. Præparat. Euang. c. 6. & alijs capitibus, tum libro 5. c. 2. & alibi paſſim. B. Auguſtinus in Pſalm. 113. Apud Photium Bibliothecæ c. 215. Philoponus ſcripſit contra Iamblici librum de Simulachris, quæ hic aſſeuerabat diuina eſſe idola & præſentia numinis referta. Equidem libro de Myſterijs Ægyptiorum ipſe Iamblicus ſcribit Deos, hoc eſt dæmones varias mundi partes, vrbes, ædes, ſtatuas propriè ſortiri. Meminit & beatus Ambroſius libro de Incarnationis dominicæ

Sacramento c. 8 & Tertullianus Apologetic. c. 22. *Dæmonum ratio deliteſcens ſub nominibus & imaginibus mortuorum quibuſdam ſignis & miraculis, & oraculis fidem diuinitatis operatur.* Arnobius libro 6. Ethnicos alloquens. *Si apertum vobis, ſi liquidum eſt in ſignorum viſceribus Deos viuere, atque habitare cælites.* Et antea. *Quænam eſt ergo ratio, vt ſi omnia hæc corpora intacta atque infecta permanſerint, careant vi Numinis atque auctoritate cæleſti. Formas ſi accipiant hominum, ſi auriculas, naſos, buccas, labra, oculos, cilia, continuò Dij fiant, & in ordinem cælitum referuntur & cenſum? Nouitatis aliquid fictio corporibus his addit, vt adiectione ipſa cogamini aliquid eis credere diuinitatis maieſtatiſque collatum.* Idem habet libro 1. Quin & Apuleius ipſe libro ij. Mileſiarum, *Spirantia ſimulachra* vocat. Sed abſoluo vno Lactantij loco. Sic autem habet libro 2. c. 16. *Illi autem qui deſciuerunt à Dei miniſterio, quia ſunt veritatis inimici & prævaricatores, Dei nomen ſibi & cultum deorum vendicare conantur, non quod vllum honorem deſiderent, quis enim honor perditis eſt? nec vt Deo noceant, cui noceri non poteſt, ſed vt hominibus quos nituntur à cultura & notitia veræ maieſtatis auertere, ne immortali-*

tatem adipiſci poſsint, quàm ipſi ſuâ nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras & veritatẽ caligine obducunt, ne Dominum, ne Patrem ſuum norint, & vt illiciant in Templis ſe occultant & in ſacrificijs omnibus præſtò adſunt, eduntque ſæpe prodigia, quibus obſtupefacti homines fidem commodent ſimulachris diuinitatis ac numinis. Ceteri Eccleſiæ ſcriptores non probant quod ait Lactantius hoc loco, dæmones nullum honorem deſiderare, imò honoris etiam diuini cupidiſſimos exiſtere, & ſummo illo ambitionis æſtu iactari ſine vlla dubitatione affirmant, & nos cùm de ſacrificio agemus, iſtud certiſſimum eſſe demonſtrabimus. Petrus martyr Anglerianus Oceaneæ Decadis 2. lib. 6. narrat in Cuba inſula apparuiſſe dæmonem, caudatum, hiatu vaſto, dentatum, cornutum, Zemen vocant, & quidem eadem planè forma & habitu atque idolum, quod ab incolis adoratur: ac paulò ante memorat idem auctor, ipſius inſulæ incolas paſſim videre & alloqui Zemes ſuos, id eſt dæmones in eiuſmodi idolis. Poſteà diabolus aliam ſtatuarum excogitauit artem, vt qui Magicas fieri docuerit ad perniciem aliquam aut infe-

rendam aut auertendam, de ijs dixêre nonnulli antea, & nos idcirco pauca. Photius Bibliotechæ c. 80. in Olympiodoro narrat apud Rhegium ex aduerſo Siciliæ, ſtatuam Magicam extitiſſe, quæ Æthnæ montis ignes auerteret, & Barbaros ne in Siciliam traijcerent prohiberet: Illa verò confracta ab Æſculapio, qui in Sicilia Conſtantij nobiliſſimi, & Placidiæ ſororis Honorij, & Arcadij Impp. poſſeſſiones curabat, Inſulam & ab Æthneo igne & à Barbaris grauiſſima pertuliſſe damna. Poſt aliquantum idem prodit de tribus ſtatuis Magicis quæ ne Barbarorum gentes in Imperium Romanum irruerent obſtabant. Tantum hoc tempore Magiæ tributum, quaſi illa firmiſſimum eſſet aduerſus ingruentes Barbaros præſidium, vnde & Photius eodem capite refert Libanium Aſianum genere, ſummum Magum & veneficum, profeſſum ſe poſſe admiranda abſque armatis hominibus aduerſus Barbaros patrare, & quidem experimentum dediſſe, ſed iuſſu Placidiæ necatum poſtea. Quod autem ad caſtus & ceremonias attinet, quàm multa diabolus

ex Iudaicis ritibus & legibus ſacrorum, mutuatus eſt, & tantiſper ſuo more adornata & efficta ſuis propoſuit, auctore Tertullian. libro de Præſcription. & lib. de Baptiſmo: eam ob rem dixit diabolum rei Dei æmulari, & libro de teſtimonio Animæ, Æmulatio veritatis à Spiritu immundo, & vulgatus locus, libro de Præſcription. aduerſus Hæretic. Theodoretus in Epiſtolam 2. ad Corinth. Mos eſt diaboli diuina imitari. Qua de re B. Iuſtinus martyr Apolog. 2. Euſebius Præparat. Euangeli. locis pluribus, nec non & Iulius Firmicus libro de Erroribus profanar. religion. id explanant. B. Hieronimus libro 2. aduerſus Iouinianum. Quæ in æmulationem Dei facit diabolus non religionis noſtræ ſuperſtitio, ſed noſtra arguitur negligentia, id nolentium facere quod bonum eſſe etiam ſæculi homines non ignorant. De Magis & ceteris diaboli miniſtris dicemus poſtea.

§. 5.

Diaboli artes, quibus diuinitatis existimationem apud homines parauit, vnde & quale Medicinæ commercium cum Magia, ridicula diuinandi ars.

ARnobius libro 1. aduersus Gentes, præclarè illud, Proprium, consentaneum, dignum est vero Deo, nihil nocens aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum modis, potestatis munificæ liberalitate donasse. Istud probè nouerat diabolus; itaque hominum saluti & commodo, certis quibusdam rationibus consuluisse ac prospexisse videri voluit: Quæ verò sint rationes illæ quas adhiberet ad omnem malitiæ suæ scenam, & quibus diuinitatem mentiebatur, exponit Tertullianus libro de Anima, & ad tria summa genera reuocat, Medicinarum, Admonitionum, & Prænuntiationum, *Quæ in speciem benignitatis & vtilitatis comparata veluti beneficia eò subtilius fallunt, dum per ea quæ iuuant ab inquisitione*

veræ diuinitatis abducit diabolus ex insinuatione falsæ, & eo magis lædit iuuando. Singula nunc expendamus, & à Medicatione ducemus initium, quà sibi plurimos deuinxisse palam est, & vt eam quasi peculiarem seruaret, etiam cum Magia commercium aliquod nonnunquam habere voluerit. Grauissima profectò illa apud Arnobium libro 1. aduersus Gentes, Christi verè & reapse medentis, & quidem diuina opera, cum dæmonibus Thessalis medicis, collatio; *Christus aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis simplicis iussione, aures aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcitates, orationem dedisse mutis, articulorum vincula relaxasse, ambulatum dedisse contractis, vitiligines, querqueras atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera, quæ humana corpora sustinere nescio quæ voluit importuna crudelitas, verbo solitus imperioque seruare. Quid simile Dij omnes, à quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latam? Qui si quando, vt fama est, nonnullis aut tribuere Medicinam, aut cibum aliquem iusserunt capi, aut qualitatis alicuius ebibi potionem, aut herbarum aut graminum succos superimponi, inquietantibus causis, ambulare, cessare, aut re aliqua quæ officiat*

abſtinere : quod eſſe non magnum nec admirationis alicuius ſtupore condignum promptum eſt, ſi volueritis attendere, & Medici etiam ſic curant animal humi natum, nec confiſum ſcientiæ veritate, ſed in arte ſuſpicabili poſitum, & coniecturarum æſtimationibus nutans. Interim ne cui ſcrupulum inijciat ſententia illa Arnobij, morborum omne genus, quo homines afficiuntur, ab importuna quadam crudelitate profectum aſſerentis, diſſimulandus tantiſper næuus in Arnobio, qui nondum planè edoctus quid eſſet peccatum originale, quæ eius effecta, quæ, vt noſtri Theologi appellant, pœnalitates, & vno nomine mortis anteambulones iſti morbi. Pergamus verò, & ſimulatam à dæmonibus Medicinam, ægris corporibus factam explicemus. Pertinax illa Gentilium opinio, Deos ſuos id eſt dæmones morbis medelam dare, vt loquitur Minutius Felix in Octauio, credidit. Sed quî iſtud fiat ipſe idem pluribus deſcribit alio loco. Sic à cælo deorſum dæmones grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occultè, vt ſpiritus tenues, mor-

bos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, ad cultum ſui cogant, vt nidore altarium, vel hoſtijs pecudum ſaginati, remiſſiùs quæ conſtrinxerant curaſſe videãtur. Lactantius Minutium vt pote antiquiorem ijſdem penè verbis imitatus eſt libro 2. c. 14. *Dæmones quoniam ſunt ſpiritus tenues & incomprehenſibiles; inſinuant ſe corporibus hominum, & occultè in viſceribus operti, valetudinem vitiant, morbos citant, ſomnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt, vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.* Liceat mihi dum de re medica diſſero, Tertulliano Medicinam facere, ni fallor, & quidem in eodem quo de agitur argumento. Locus eſt Apologetic. c. 22. ijs verbis: *Suppetit illis dæmonibus, ad vtramque ſubſtantiam hominis lædendam ſubtilitas & tenuitas ſua multum ſpititalibus viribus, & licèt inuiſibiles & inſenſibiles in effectu potius quàm in actu ſuo appareant.* Ego tranſpoſita verba hæc, *effectu & actu*, exiſtimo, ac legendum, *inuiſibiles & inſenſibiles in actu, potius quàm in effectu ſuo appareant*, ſi quidem actio dæmonis lædentis, præſertim arte Magica, ſæpius tacita eſt & occulta, atque adeò inuiſibilis & quodammodo inſen-

ſibilis, & affectus valde ſenſibilis & viſibilis. Sequentia meam firmant lectionem, *Si poma, ſi fruges neſcio quod auræ latens vitium in flore præcipitat.* Et poſt. *Si cæca ratione tentatus aer*, Item, *eadem obſcuritate contagionis.* Non aliter malum, quod, ſeu à malefico, ſeu veneno profectum, ipſi Apuleio, & alijs, *Pernicies cæca & ineuitabilis vocatur.* Et id fugit oculatiſſimum & accuratiſſimum Tertulliani interpretem. Fucum hominibus factum indicat Arnobius, cùm docet morbos à dæmonijs in corporibus humanis pertutbato humorum temperamento, excitari, & ſanitatem quaſi poſtliminio ab ijſdem reuocari, ſedata illa, quam in corporibus excitarant, tempeſtate. Fictitios igitur morbos ab ijs immitti inde perſpicuum, vt pari curatione hominum mentes in ſui cultum & admirationem excitent. An verò medicinam ſerio faciant, ſi quis quærat: Ego id ita ſine vlla dubitatione reſponderem, ſed quæ ab illis præſtantur morborum remedia, nullam ijs attribuere poſſunt diuinæ potentiæ exiſtimationem. Siquidem vt diſſerit Euſebius de Præparat. Euang. libro 4. c. 1. Dæmones multa nouerunt

herbarum & plantarum genera, multa aromatum & lapidum, multis quidem ignota, quæ humores vel contrahant & condenſent, vel diſtrahant & rariſicent, naturali quadam facultate ſibi indita, & id vel breui vel longo tempore; ad quæ ſitus & poſitio locorum multùm conducit, tum & corporum ſuperiorum ac maximè Lunæ influxus. Hæc cùm adhibuerint & morbum profligauerint, ecquid idcirco diuini ijs ineſſe cogitabimus? idipſum credidit quidē antiquitas; ſed *errorum pleniſsima mater*, vt ait Arnobius libro 1. M. Antoninus Imperator libro 1. de vita ſua, ait ſibi in ſomnis data remedia tum contra ſanguinis excreationem & contra vertiginem. Idem lib. 5. ait Æſculapium vni equitationem, alteri lotionem in frigida, cuidam vt nudis pedibus ambularet pro remedio iniunxiſſe, ſiue per ſomnium ſiue ex oraculo, quod ſuprà ex Arnobio explicauimus. Quo ſpectat & illud Plauti Curculione Act. 1. Scena Quòte, *Hic leno ægrotus incubat in Aeſculapij fano.* Et Actu 2. ille ſic idem ait: *Migrare certum eſt iam nunc è fano foras. Quando Aeſculapij ita ſentio ſententiam, vt qui me nihili faciat, nec*

ſaluum

ſaluum velit. Idem fortaſſe Mænechmis, Actu 5. Scena, Iamuè iſti: vbi Medicus ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio, Appollini autem brachium: at hoc arbitrarium ſit non certum. Meminit Pauſanias in Eliacis Theagenis cuiuſdam apud Thaſios pro Deo habiti, qui ægrotantibus remedia morborum indicaret. Athenagoras Apologià pro Chriſtianis, præſertim memorat Neryllinum mortuum apud Troadem pro Deo cultum, qui ſanare ægrotos dicebatur. Sed anus ad armillam, diabolus ad ingenium vetus verſutum ſe recipit ſuum, & ſi non fictè ſed re vera, ægrotum aliquem priſtinæ reſtituerit ſanitati, nec tamen aut diuina quadam virtute id effecit, vt ex Euſebio vidimus paulò ante, aut non alio fine quàm vt Apoſtata ipſe pro Deo habeatur & colatur, quemadmodum prodit Iſychius libro. 6. comment. in Leuiticum. Dæmones autem Medicinam feciſſe, non tantùm, vt diximus, adhibitis rebus quæ naturalem vim ſanitatis effectricem haberent, quanquam alioqui vulgò ignotæ eſſent, verumetiam verbis & cantaminibus, atque vno nomine opera Magi-

ca, ipſorum dæmonum propria, nunc videamus. Plinium non audio, qui Magiæ ſurculum Medicinam eſſe vult, cur id mihi nõ placeat dicam, poſtquam integrum Plinij locum deſcripſero, hiſtoriæ Natural. libro 30. c. 1. *Natam Magiam*, inquit, *è Medicina nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem, ſanctioremque quàm Medicinam, ita blandiſsimis deſideratiſsimiſque promiſsis addidiſſe vires religionis ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus.* Magiæ authores & inuentores eſſe dæmones nimis verum, & poſtea id explicabimus aliquantum: at Medicinæ inuentum dæmonibus adtribuere, iſtud planè falſum, nam præterquam quod Scriptura diſertè docet Eccleſiaſtici c. 38. Altiſſimum creaſſe de terra medicinam. Et quidem medicina hîc non pro arte, ſed pro Pharmacis vſurpatur, & Græcus legit, φάρμακα. Et ita paulò antè, vulgatus habet, *à Deo enim eſt omnis medela.* Græcus habet ἴασις, Medicina, ſanatio. Sequitur aliquantò poſt de eadem: Dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus. Quæ vna ratio medico & artis profeſſori honorem habendum eſſe conuincit, quan-

quam & Scriptura aliam adiungat, loco citato, honora medicum propter neceſsitatem, etenim illum creauit Altiſſimus, ita vulgatus interpres, ſed Græcus contextus maiorem habet emphaſim. Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν κύριος. Honora Medicum ſuis honoribus ad neceſſitates, etenim ipſum creauit Dominus. Non ſimplici honore, ſed multiplici vult honorari: Quàm verè ergò Seneca lib 6. de Beneficijs c. 16. *Quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec aduerſus illos mercede defungor? quia ex medico ac præceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte quam vendant obligant, ſed benigna & familiari voluntate.* Nec fruſtra addit Scriptura, *ad neceſsitates*, vt non ſemel ſed multoties ſalutari ope medici indigeamus, quem idcirco pluris facere debeamus. At ſi illum creauit Dominus, quod de ipſa etiam ſcientia intelligendum eſt, quis audeat tam neceſſariam, tamque ſalutarem diſciplinam, quamque Iſidorus Peluſiota libro 1. Epiſtola 391. ad Domeſtium medicum, τέχνην φιλόσοφον appellat, dæmonibus hominum infeſtiſſimis & crudeliſſimis hoſtibus, veluti au-

ctoribus adsignare, & cum illorum arte exitiosa coniungere. Verùs dixisset Plinius Magiam ex curiosa res abditas cognoscendi vel habendi cupiditate enatã. Ita enim B. Augustinus, Epistola 5. ad Marcellinum, Magicas artes nonnisi pro felicitate terrena, vel damnabili curiositate conquiri prodit. Et quidem apud Photium in Philostrato, Appollonius Tyanæus, qui in illa arte, suo tempore, familiam ducebat, Medicinam à diuinatione profectam dicit, non contrà, ex sententia Plinij, vnam Magiam tres imperiosissimas humanæ mentis artes, Theologiam, Medicinam, & Mathematicas complexam, in vnam se redigisse. Neque tamen negauerim Magiam maximum, Medicinæ prætextu, incrementum accepisse, & Magos plurimos medicinæ faciendæ specie istam infamiæ labem huic arti affricuisse. Ægrotis, seu ob vim morbi, seu ob diuturnitatem, longum videbatur iter ad sanitatem per vsitata remedia, verba magis innoxia, minus sæua visa sunt. Plato libro 4. de Republ. nonmodo pharmaca, vstiones, incisiones adhiberi memorat ad morbos curandos, sed

addit & incantationes. Idem in Charmide, incantationem cum medicamento coniungendam esse scribit, ac præterea Socratem iuramento sese obstrinxisse cuidam Thraci non aliter se vsurum medicina, quàm ex præcepto Zamolxidis, quem Magum fuisse omnes fatentur. Plinius loco citato histor. Natural. ait Orpheum, è propinqua Thracia, primum intulisse in Thessaliam ipsam Magiam, ad vicinas vsque superstitiones ac medicinæ profectum. Et eodem capite ipse Plinius Druidas Gallorum nostrorum, quos Magiæ non fuisse ignaros certum est, etiam Medicos fuisse vult. Ferdinandus Ouiedus histor. vniuersal. Indicæ libro 5. c. 2. scribit apud Indos eosdem esse & Sacerdotes & Augures, & Magos, & Medicos. Apuleius libro 2. Floridorum, scribit Chaldæos medendi scientiam docuisse : at isti Genethliaci à Magia non alieni, siquidem Tertullian. libro de Idololatr. *Scimus Magiæ & Astrologiæ inter se societatem*, & Astrologos seu Chaldæos simul cum Magis coniunctos passim videre est. Interim apud Iamblicum in vita Pythagoræ, vbi ex-

cuſſum χαλδαιδέων καὶ μαγῶν, lego χαλδαίων, Magos hîc Perſarum deſignat. Addo & ijs ex Photio Bibliotecæ c. 242. in Iſidoro Philoſopho, Aſclepiadorum Medicum & rerum Magicarum ſcientem, ellebori albi vſum olim amiſſum renouantem, & illo morbos inſanabiles inuſitato modo curantem, ſpiritumque lethali ſimilem è varijs ſpeciebus miſcendum excogitantem; aliquando dæmonis œſtro & furore percitum. Eodem planè modo Eunapius memorat Ionicum præſtantiſſimum alioqui Medicum, egregium etiam inuentorem artis colligandi affecta membra, ne ab aliis ſecarentur, diuinationi vtrique operam dediſſe, tum illi, quę beneficio medicæ artis præſagiũ valetudinis in ægrotis capeſſit, tum alteri, quæ Philoſophiæ inſtinctu, deſinit diſſeminaturque in eos, qui poſſunt clandeſtino modo tueri & conſeruare. Quæ poſtrema Magicam artem ſatis apertè ſignificant. Apuleius Apologia ſua, illud pronunciat verè. *Veteres quidem*, inquit, *Medici etiam carmina remedia vulnerum norant.* Forſan ad eam rem ſpectat quod de Muſica ſcripſit Macro-

bius libro 2. in Somnium Scipionis, c. 3. *Muſica quoque corporum morbis medetur, nam hinc eſt quod ægris remedia præſtantes præcinere dicuntur* Quod ad anus & mulieres nonnullas referendum, quibus id olim in vſu erat: ſi quidē Ammianus Marcellinus, libro 16 dixit, *Anile incantamentum, quod Medicinæ quoque admittit auctoritas, ad leniendum dolorem adhiberi.* Ad has aniles nugas pertinent formulæ iſtæ remediorum, quæ conſtant, vel inuſitatis vocibus, vel quæ nihili ſint ad morbos curandos, vt in Herculaneo morbo ſanando, pronunciata hæc, certo ritu, verba: *Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthazar aurum* Ita enunciata hæc, in curandis ſcrofulis, à ieiuna virgine, dum parti affectæ herbam aliquam admouet,

Negat Apollo peſtem poſſe creſcere, quam nudi virgo reſtringat.

Itidem, ſi quis die aliquo cùm radioſus ſeſe Sol ſuperat ex mari, &c. ter pronunciet, *Yemon*, res maritalis, prius maleficio funerata, reuiuiſcet. Quis non rideat iſtud, ſi quæ mulier parturitionem & perdifficilem & periculoſam patiatur, adhibitis nonnullis, vbi illi in au-

rem recitata fuerint verba hæc. *Su cy my dur*, illicò & facillimè pariet. Quis linguæ Galicæ peritus non aduertit, hæc Picardica dialecto pronunciata, idem significare quod. *Res hæc mihi in mora est.* Et tamen impostores illi & malefici, ineptè & insulsè scribunt ac dispungunt, vt quasi verba arcana & mysteria, suo more, concinnent, ijsque technis simpliciores ludificentur. Quis scit si apud veteres medicinæ ea pars esset, ista ratio curandorum morborum, quæque certis veluti regulis constaret. Certè suspicionem mouet, quod scribit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. à Mercurio Trismegisto scriptos medicinæ libros, qui apud Ægyptios solummodo legebantur ab ijs qui παστοφόροι dicebantur : Apuleius libro ij. Milesiarum Pastophoros memorat, & Sacrosancti Collegij nomen appellat, *Cœtum Pastophorûm* : quo nomine Sacerdotes innuit, vt adnotarunt viri docti, qui idcirco Pastophori dicti sunt, quod pallium gestarent sacerdotale, & Pastophoria inde nominata. Ruffinus in suo, quem Latinum fecit, Eusebio c. 23. describens templum Serapidis apud

Alexandriam. *In ſuperioribus*, inquit, *extrema totius ambitus ſpatia occupant exhedræ & Paſtophoria domuſque in excelſum porrectæ in quibus vel æditui, vel ij quos appellant ἀγνίζοντας, id eſt qui caſtificant, commanere ſoliti erant*: Conſtitutiones Apoſtolorum, quæ dicuntur, libro 2. c. 57. alijs 61. inter templi ſeu Eccleſiæ ædificandæ partes numerant Paſtophoria, quæ qui armaria interpretantur, neſcio quid velint Gloſſæ Iſidori: *Paſtophorium, atrium Templi vel Sacrarium*. Sed ad Triſmegiſtum redeo, & ad libros eius medicos. Arcana equidem hæc erant & myſteria quæ vulgare & palam enunciare non licebat: Prope eſt vt credam Medicinam, idcirco artem mutam appellatam fuiſſe à Virgilio 12. Æneidos, ab iſtarum rerum ſilentio & tacita aſſeruatione, & quod ſine vllo attactu ea ipſa fieret morborum curatio. Quanquam alioquin Seruius, in hunc locum, Mutam dictam eſſe Medicinam, ſcribat, quod manibus magis medicina tractata ſit, vnde Chirurgia dicta, quam Prudentius hymno 10. Periſtephanon, *Latinam Hippocraticam* appellauit, idcirco: *Itaque muta*, inquit ille, *quia vbi ma-*

nu res agebatur, ceſſabat oratio. Ad rem redeo, apud Anaſtaſium Nicænum lib. quæſtion. in Scripturam q. 23. B. Cyrillus Alexandrinus inuehitur in nonnullos, qui quibuſdam vocibus Scripturæ vtentes, quales ſunt, *Dominus, Sabaoth*, ac ſimiles, & ægrotos incantantes, illos curare videbantur, atque eiuſmodi operatione dæmones immundos honorari prodit. Quidquid ſit Apuleius obiectum ſibi Magiæ crimen, & varijs quidē indicijs, ac eo præſertim quod ægrotis verba admurmuraret plurimis rationibus, id à ſe amoliri tentat, tum audacter negando magi & malefici hominis eſſe mederi, tum excipiendo, nihil, quod ſalutis ferendæ gratia fit, criminoſum. Quæquidem poſtrema exceptio, reprehenſione non caret: nam Paulo I.C. lib. 5. Sent. tit. 25. Qui abortionis aut amatorium poculum dant, & ſi id dolo non faciant, tamen mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam relegātur, etiam ſi potio innoxia fuerit ei cui data. Itidem ſi ex eo medicamine, quod ad ſalutem hominis, vel ad remedium datum erat, homo perierit, is qui dederit, ſi honeſtior fue-

rit in insulam relegatur, humilior capite punitur. Verumtamen vt de tota ista re aliquid certi statuamus, fatebor lubens, olim nonmodo apud Barbaros, verumetiam Græcos & Romanos verborum istorum & carminum in morbis aut curandis, aut leniendis vsum innoxium fuisse : At sub Imperatoribus aliquando non sine noxa licuisse ijs rebus vti: Addo non tam artem quàm vsum artis prohibitum videri. Firmabo illud sentẽtia Vlpiani, lib. 7. de officio Proconsulis Tit. de Mathematicis & Vaticinationibus, quorum nomine etiam magos comprehendi nemo nescit. Extat locus apud Licinium Ruffinum, libro Collationis legũ Mosaicarum & Romanarum, tit. 15. quem edidit optimus Petrus Pithœus, bono Galliæ nostræ & bonarum artium natus. Ait itaque Vlpianus: *Sed fuit quæsitum vtrum scientia huiusmodi hominum puniatur, an exercitium & professio. Et quidem apud veteres dicebatur professionem eorum non notitiam esse prohibitam, postea variatum. Nam dissimulandum est nonnunquã irrepsisse in vsum vt etiam profiterentur & publicè responderent.* Ita emendat clarissimus Pithœus. Interim quod aiunt Impp. olim non prohi-

bitam notitiam, sed professionem, postea illud idem concessum in ipsa diuinãdi disciplina. Siquidem Cod. Theod. Tit. de Malef. & Mathemat. l. 9. Imperatores ita loquuntur. *Nec haruspicinam reprehendimus, sed nocenter exercere vetamus.* Iam itaque sub Imperatoribus omnis illa carminum & verborum medicina sæpius interdicta est. Vlpianus id testatur ff. libro 50. Tit. de Extraordinar. cognitionib. l. 1. §. 2. *Medicos fortasse*, inquit, *quis accipiet etiam eos qui alicuius partis corporis vel certi doloris sanitatem pollicentur, vt puta si auricularius, si fistulæ, vel dentium, non tamen si incantauit, si imprecatus est, si, vt vulgari verbo impostorum vtar, exorcizauit, non sunt ista medicinæ genera, tametsi sunt qui hoc sibi profuisse cum prædicatione adfirment.* Vlpianus Gentilis impostorum nomine Christianos pestringit, quod addit eiusmodi Magicis cantaminibus, quosdam sanatos, idem asserit libro 4. Cod. de Maleficis & Matthematicis, quàm multi istud adnotarunt. Qui verò huiusmodi veneficijs ad morbos propulsandos vteretur, Medicamentarius vocatur Cod. Theodos. libro 3. tit. 16. de Repudijs l. 1. quod me docuit Sol Galliæ

Briſſonius, libro ij. de Verbor. ſignific. & aliter quidem Alciatus lib. 2. Parerg. c. 26. Quidquid ſit puram ſinceramque ac legitimis naturalium rerum pharmacis conſtantem medicinam ſemper diſcretam eſſe à ſuperſtitioſa illa & Magica mihi facile perſuadeo. Sed hoc Medicinæ accidit quod Mathematicis vniuerſim diſciplinis, quarum qui periti eſſent, Magiæ inſimulati ſunt: vnde Boëtius libro 1. de Conſolat. Proſa 4. ſic alloquitur Philoſophiam. *Atque hoc ipſo affines fuiſſe videmur maleficio quod tuis imbuti diſciplinis.* Hinc nata illa fabula de Syluestro 2. P. R. qui antea Gerbertus vocabatur, quem magicarum rerum non ignarum eſſe dixerunt ob peritiam artium mathematicarum. Neque illud ignoro, Philoſophiæ nomine aliquando ſignificatam magiam. Caſſius hemina apud Plinium, libro 13. c. 13. libros Magicos Numæ vocat ſcripta Philoſophiæ Pythagoricæ, de qua alio loco. Et Plinius ipſe loco allato ſatis oſtendit aliquod diſcrimen inter Magiam & Medicinam intercedere, cùm ait, eadem ætate, id eſt circa Pelloponeſiacum Græciæ bellum, Democritum Ma-

gicen, Hippocratem maximum medicorum, vt vocat Seneca, medicinam illustrasse. Sed non possum mihi temperare quin ad magicum medendi genus, aliud subijciam, quod longè maius est ipso restituendæ sanitatis, forsan maleficio ereptæ, adiumento magico, quod enim dico, in vitæ quadam cum ipsa morte reciprocatione quotidiana positum fuisse narratur, apud Photium Bibliothecę c. 166 in terrarũ vltima Thule Paapis Dercyllidem, quæ eò iam peruenerat vnà cum Dinia assecutus, arte sua magica hoc effecit vt interdiu morerentur, nocte vero accedente reuiuiscerent, eo tantum ritu ad illud efficiendum vsus, quod publicè in illorum faciem conspueret. Duo alia capita quæ recenset Tertullianus, quibus se apud homines pro Deo venditat diabolus, videlicet admonitiones in somnis & prænuntiationes seu diuinationes, quoniam ab alijs non paucis ista sunt accuratè explicata, non est quod diutius in ijs immorer, nisi quod, meo quidem iudicio, totam istam insomniorum & apparitionum fabulam, tum & diuinandi scientiam, nonmodo ridiculam,

ſed nonnunquam, vel maxime periculoſam exiſtere tantiſper demonſtrem. In primis quod ad inſomnia pertinet, ea non tantũ quæ ipſi dæmones in ſomnis excitarent, ſed & apparitiones comprehendunt, quibus illi ſubdoli Spiritus, non planè dormientibus aut à ſomno excitatis, auguſtam quamdam ſpeciem veluti diuini alicuius numinis formam obijcerent: Et certè, ſiue in ſomnis ſeu vigilantibus apparerent, atque adeò ſiue ſe Deum aut Deam mentirentur, aut defuncti alicuius perſonam, forma maiore humana apparere ſolebant. Iuuenalis Satyr. 13.

Continuò templum & violati numinis aras,
Et quod præcipuùs mentem ſudoribus vrget
Te videt in ſomnis: tua ſacra & maior imago
Humana, turbat pauidum cogitque fateri.

Virgilius 2. Æneidos.

Viſa mihi ante oculos, & nota maior imago.

Tacitus libro 1. hiſtor. *Erupiſſe cella Iunonis maiorem humana ſpeciem.* Tacitus idem Annalium libro ij. loquens de Curtio Rufo, qui tum Adrumeti in Affrica agebat, *Oblata ei*, inquit, *ſpecies muliebris, vltra modum humanum.* Non aliter apud

Xenophontem, de institutione Cyri libro 8. cùm Cyrus dormiret in Regia, visus est illi ad ipsum accessisse, præstantior quidam & maior quàm natura humana, eique dixisse: Para te, ó Cyre, iam iam enim abibis ad Deos. Pisistrato Athenienſium Tyranno paulò ante mortem quidam tetra & specie grandiore humana, apparuit, & docuit neminem sceleratum & impium euasurum diuinam vindictam. Denique Iamblicus libro de mysterijs Ægyptiorum, scribit Archangelos & Principatus nonnisi prægrandes & vastos apparere, ita placuit Iamblico Magiæ studioso dæmones suos nuncupare. Hæc quidem dæmones specie Numinis alicuius, idemque factitarunt nomine defunctorum. Iuuenalis Satyra 2.

Quid Cremeræ legio & Cannis consumpta iuuentus,
Tot bellorum animæ quoties hinc talis ad illos
Vmbra venit.

Eò spectasse videri potest Virgil. 4. Æneid. vbi Didonem sic loquentem inducit,

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Horum

Horum nonnulla adnotaueram pridem, reliqua ſuggeſſit vir, quod Plinius de Menandro, litterarum humaniorum ſubtilitati ſine æmulo genitus Lipſius, ad Tacitum. Et quidem non Barbarorum modo ſed & Hæbræorum popularis opinio, Vmbras defunctorum, nonniſi maiores ſolito apparere, & apud inferos altiori ſpecie & forma comparere: hinc natum apud ipſos Hebræos prouerbium, Apud Gigantes, id eſt apud inferos. Prouerb. 21. vulgata verſio. *Vir qui errauerit in via doctrinæ in cœtu Gigantum commorabitur.* Gigantes hîc pro mortuis. Eodem pacto Prouerb. 2. vbi agitur de victima publicarum libidinum, pro quo vulgatus interpres habet, *Ad inferos ſemita ipſius*, ex Hebræo eruditiſſimus Druſius vertit: *Ad Gigantes*, & ex Gloſſario Philonis dictionem *Raphaim*, Gigantes ſonare. Ita Druſus quæſt. 37. libr. 1. Nunc diuinandi artem excutiamus breuiter. Quis verò in primis non rideat vanam iſtam, ſeu ſcientiam, ſeu coniecturam appellare malueris. Quàm lepidè iſtud excogitatum ab Alexandrinis Ægyptijs vt Aſtrologi penderent tributum quodpiam, quod Vectigal

ſtultorũ appellabatur, quoniam nonniſi à ſtultis & curioſis hominibus conſulerẽtur. Hæc Suidas. Vnicum exemplũ dabo. Extat Antonij Torquati Ferrariẽſis, Aſtrologi ſua ætate clariſſimi, prognoſticon quod Matthiæ Regi Hungariæ, in cuius paterna hiſtoria luſimus aliquando, oblatum eſt, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, quod cum aliquantò prolixiùs videatur, præcipuas illius ſententias tantùm adnotabo. Turci magna ſtrage ſuorum in Chriſtianos arma mouebunt. Venetis primum multa inferent damna, poſt eorum amici facti, Belgradum in ditionem recipient, Rhodum ſuperabunt, Pannoniam & Hungariam multis cladibus afficient. Tandem vim comminantes, regnum Hungarorum lacerantes, ſimulque imperium Romanum Germanumque diutiſſimis bellis tentantes, in eorum manus cadent: Annus erit Chriſti 1594. vel 1595. Sed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ Hiſpaniæque littora claſſe ſua, necnon Italiam moleſtabunt & affligent. Paulò poſt, Imperatorem Turcarum in prælio occidendum prædicit, additque:

Oſmana namque domus in tredecimo vel quartodecimo capitibus corruet, nec illum excedet numerum, nec annos ſalutis 1596. tranſibit. Tunc enim horrendo concidet caſu, tandem concludit hac clade euerſum iri Imperium Turcicum & à Chriſtianis occupandum. Sic refert Leunclauius in Hiſtoriæ Muſulmanæ appendice, poſtEpiſtolas. Non eſt vel huius loci, vel mei otij hiſtorias retexere, quibus multa quæ hîc exprimuntur, eueniſſe intelligamus, ſatis ſit expendiſſe corollarium huius prædictionis quàm varium ſit, quàm falſum, quàm ridiculum, de Imperio Turcico funditus euerſo, ad annum Chriſti 1596. cum hoc anno 1608. tam florens & potens, magno quidem Chriſtiani nominis malo, cernamus, quàm vnquam antea extiterit, nec vlla parte, aut hiare, aut nutare, aut inclinare, tanti Imperij moles perſpiciatur: nec in quartodecimo Imperatore Oſmanida ſeriem Sultanorum & Principum ſuorum defeciſſe videamus, cùm Sultanus Muhamet Cham, tertius huius nominis, ſit decimus quintus Oſmanidarum Principum, à primo illo

Oſmano Sultano. Magnò certè conſtitit Hungaris hæc prædictio, cui cùm ſtolidè inniterentur, motumque maximum ſub Sultano Soleimanno in Hungaria excitaſſent, ab eo magna clade affecti, ſuæ credulitatis veſanæ, pœnas non minimas dederunt, quemadmodum narrat Leunclauius hiſtor. Muſulmanæ lib. 18. Optandum eſſet profectò vt omnis illa augurandi ratio, in ijs externis rebus & quidem remotioribus occupata eſſet, ſed in domeſticis verſari nullo mòdo ferendum. Et ſanè meritò Conſtantius Auguſtus Conſtantini M. filius, ſeueriſſimè in iſtos curioſos inquiri voluit, etiam ſi in comitatu Auguſti vel Cæſaris agerent, quos vult præſidio dignitatis exutos, cruciatus & tormenta non fugere, atque eculeo deditos, vnguliſque ſulcantibus latera, perferre pœnas proprio dignas facinore, nec iniuria, nam ars iſta diuinatoria & ſimiles, quæ hac lege commemorantur, *Ipſam pulſant maieſtatem.* Cod. de malef. & mathemat. l. 7. Ammian. libro 19. ad finem, poſtrema hæc legis verba referens appoſitè ſcripſit. *Nec enim abnuimus ſalutem legitimi Principis, propugnatoris bono-*

rum & defensoris, vnde salus quæritur alijs, consociato studio muniri debere cunctorum: cuius redimendæ causa, validius, vbi Maiestas pulsata defenditur, à quæstionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemere fortunam. Sed exultare mœstis casibus effrenatè non decet ne videantur licentiâ regi subiecti, non potestate. Tertullianus quàm verè Apologetici c. 35. *Cui opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi à quo aliquid aduersus illam cogitatur, vel optatur, aut post illam speratur & sustinetur. Non ea mente de charis consulitur qua de dominis.* Et quidem Paulus Sentent. libr. 5. c. 21. *Vaticinatores qui se Deo plenos assimulant idcirco ciuitate expelli placuit, ne humana credulitate, publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur, vel certè ex eo populares animi turbarentur.* Scitè Iuuenalis Satyra 6.

Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit.

Et verò turbones isti, ac rerum nouarum auidi, quibus nunquam Regna & Imperia caruerunt, ijs delirijs maximè delectantur, & ex ijs rei gerendæ consilia cœpta, inita, nec homines istos planè vecordes, infelix aliorum exitus ab incœpto deterruit, & malum istud re-

ſcindi quidem poteſt, extirpari funditus non poteſt. Poſt vindemiam parricidarum racematio ſuperſtes, ait Tertullianus Apologetic. c. 35. Habui aliquando Tabellas geneſeos duplicis, de ortu & ſtatu duorum maximorum Principum, ex ſitu & poſitione aſtrorum, quarum vna delineata & inchoata tantum, altera pollicebatur benignum Planetarum omnium aſpectum, dempto vno Sole, quem auerſum indicabat, has furtificæ manus clepſerunt. Dolendum equidem illud eſt homines vel ſummo loco natos vel ingenio non obtuſo ijs nugis fidem adhibere, ſed quos diabolus ita mente exocula-, uit, vt

- Quidquid
Dixerit Aſtrologus credant à fronte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Ait Iuuenalis Satyra 6.

§. 6.

Idololatriæ & Magiæ conſenſus.

SYMEON Monaſterij S. Mamantis Conſtantinopoli præfectus, cuius ſcripta incredibilem redolent pietatem, ante annos ſeptingentos, & quod excurrit ſcripſit oratione 13. diabolum quinque velut diſciplinis & ſcientijs homines à Deo ſeiugare & abducere, Ethniciſmo, Iudaiſmo, Hæreſi, Vitæ Orthodoxæ, ac denique monaſticæ profeſſionis, vitijs contrarijs & corruptelis; ſed quo genere iſtorum noxiæ illæ & ſuperſtitioſæ artes Magicæ comprehandantur, non vno verbo dici poteſt, magna parte illas Ethniciſmum referre, nec ab hæreſi alienas eſſe certò affirmare auſim, ſunt enim aliqua quæ manifeſtam ſapiant hæreſim, ſed multò plura in illa parte diſciplinæ, quæ illis Theurgia, recta ſapientibus Goetia nuncupatur, quæ cum Idolomania, & helleniſmo veteri conſentiant. Iam pro-

pius ad rem ex vniuerſalioribus principijs hactenus explicatis accedamus, atque Idololatriæ & Magiæ iſtam perpetuam conſenſionem & ſocietatem inquiramus, ac non modò ante Saluatoris aduentum, verumetiam noſtris atque adeò poſtremis ſæculis. Theophilus Alexand. Epiſtola 2. Paſchali ad totius Ægypti Epiſcopos, grauiter, vt ſolet, inuehitur in Origenem, qui inter cetera opinionum portenta quæ confingebat, magicis quoque artibus patrocinium tribueret, quandoquidem affirmaret ſibi non videri artem Magicam eſſe alicuius rei ſubſiſtentis vocabulum, ſed & ſi ſit, non eſſe operis mali, nec propterea contemni poſſe: At dum id facit Origenes fautorem ſe eſſe demonſtrat Elymæ Magi, qui Apoſtolis repugnauit, & Iannæ atque Mambræ, qui Moiſi Magicis artibus reſtiterunt. Sed nullas Origenis patrocinium habebit vires, quia Chriſtus Magorum præſtigias ſuo deleuit aduentu, & quidem inter Chriſtianos verè fideles. Tertullianus libro de Idololatria. *Poſt Euangelium nuſquam inuenias, aut Sophiſtas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut*

Magos niſi planè punitos. Reſpondeat nouæ impietatis adſertor, inquit Theophilus, *imo apertè audiat: Si non eſt malum ars Magica, non erit malum & Idololatria, quæ artis Magicæ viribus innititur: Quod ſi malum eſt Idololotria, malum erit & ars Magica, ex qua ſubſiſtit Idololatria. Cùm autem Idololatria Chriſti maieſtate deleta ſit, indicat & parentem ſuam artem Magicam ſecum pariter diſſolutam.* Et Tertullianus eodem pacto libro de Anima, Magiam appellat ſecundam Idololatriam. Sed vt res clarius appareat, Idololatrię & ſuperſtitionis veteris originem ab ipſo fonte arceſſamus: Apud Græcos præſertim & Rom. Varro Roman. doctiſſimus lib. 1. rerũ diuinarum, ait ſe de rebus humanis prius ſcripſiſſe, poſtea de diuinis, quia diuinæ iſtæ ab hominibus inſtitutæ ſunt. Athenagoras, Apologia pro Chriſtianis, tradit Orpheum primum omnium nomina Deorum Gentilium inueniſſe, natiuitates & facta expoſuiſſe, & Theologiam iſtam, Ethnicorum iudicio, ſincerius attigiſſe: quod & confirmat B. Iuſtinus martyr oratione exhortatoria ad Gentes. Quanquam Herodotus ſcribat libro 2. Homerum & Heſio-

dum, primos omnium nomina Diis dediſſe, eiſque dignitates & artes adſignaſſe, formaſque illorum demonſtraſſe: verùm Athenagoras, Homerum atque Heſiodum, illud mutuatos eſſe ab Orpheo defendit. Orpheum verò Magum fuiſſe plurimi authores memorant, vnà ſtabimus Plinio libro 30. c. 1. & cuius locum adduximus ſuperiori capite. Numam Regem illius priſcæ Romanorum ſuperſtitionis artificem præcipuum fuiſſe quamplurimi teſtantur. Lactantius libro 1. Diuinar. Inſtitut. c. 22. *Numa vanitatum apud Romanos auctor & conſtitutor Sabinus ille Rex fuit.* Paulo poſt: *Inſtitutor ineptarum religionum vocatur.* Ex Tertulliano id deſumpſiſſe videtur Lactantius, apud quem Apologetici c. 25 legitur iſtud. *A Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa*, & c. 22. hæc extant, *homo fuit Pompilius Numa qui Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus onerauit.* Rationem adiungit, *vt rupices & adhuc feros homines multitudine tot Numinum demerendorum attonitos efficiendo, ad humanitatem temperaret.* Quam ſententiam iiſdem penè verbis imitatus eſt Lactantius ſuprà. Sed quid ſibi velint hæ ope-

roſiſſimæ ſuperſtitiones & vnde petitæ, declarat idem Tertullianus libro de Præſcript. *Si Numæ Pompilij ſuperſtitiones reuoluamus, ſi Sacerdotalia officia, inſignia & priuilegia, ſi ſacrificantia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſtè Diabolus moroſitatem illam Iudaicæ legis imitatus eſt.* Clemens Alexandrinus libro 1. Stromat. Numam ijs quæ à Moſe tradita ſunt adiutum ſcribit. Vnde autem id reſciuerit aut didicerit, non ab alio quàm à dæmone, ſi Tertulliano credimus. Qualis enim illa Ægeria Nympha extitiſſe putatur, niſi famoſa quædam magal, vel potius dæmon ſuccubus: nam cum illa conſueſcere dicebatur Numa, vt à Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus proditum. Ammian. libro 21. genium Numæ iſtum adſignat. Et certè vir noſtro æuo linguarum peregrinarum ſcientiſſimus, libro de originibus Hetruriæ, dæmonem fuiſſe fatetur, qui feminea quidem ſpecie appareret, ſed bonum Genium fuiſſe contendit, quæquidem aliàs Veſtæ vxori Iani ſeu Noachi adhæſiſſet, ſed illi magno alioqui viro,

tum mota mens à veneta potione, de quo alio loco dicemus. Quæ hactenus à nobis de Numa commemorata sunt, qualis ille fuerit, facile indicant, scilicet MAGICA disciplina instructum, quod vel apertè satis conuinci potest ex Arnobij aduersus Gentes libro 5. initio, vbi ridiculus habetur Iouis Archidæmonis & Numæ dialogismus, cùm illum Numa ad terras sacrorum vi elexisset. Sed vt clariora eius rei demus testimonia, Varronem audiamus libro de Cultu Deorum apud B. Augustin. libro 7. Ciuit. Dei c. 33. *Genus diuinationis quod appellatur Hydromantia à Persis allatum est, quo & ipse Numa & postea Pythagoras Philosophus vsus est, vbi adhibito sanguine etiam inferi suscitantur, &* νεκρομαντεία *Græcè vocatur.* Ecquid apertius dici potuit vt Numam MAGUM teneamus, præter ea quæ à nobis superiori capite adnotata sunt ex Plinio, & descripsit ipse ex eodem Varrone, lib. nunc citato, apud B. August. de libris Numæ repertis, & auctoritate Senatus combustis, quam rem venustè exagitat Lactantius loco superius allato. Quod autem Plinius, loco citato, vt id obiter

moneam, libros iſtos Numæ appellat ſcripta Philoſophiæ Pythagoricæ, non eſt quod quis exiſtimare debeat Numam vel Pythagoræ diſcipulum aut ſectatorem fuiſſe, cum Pythagoras ſub Seruio Tullio, centum circiter annis poſt Numam vixerit, teſte Liuio libro 1. ſed quod Numa in eodem Magiæ & occultæ Philoſophiæ genere atque Pythagoras verſatus ſit: ac de Pythagora poſtea videbimus. Ex ijs itaque ſatis apparet Magiam Idololatriæ parentem & alumnam eſſe: quanquam B. Hieronymus præfatione in Epiſtolam ad Epheſios, velit potius artium magicarum præſtigias ſequi Idololatriam. Nollem tamen quemquam putare, me cenſere omnem omnino veteris Idololatriæ ſuperſtitionem, nonniſi Magica ſcientia conſtare vel exerceri, cùm iſta ars peſtifera ſatis vetita eſſet, ac vno nomine, non omnem Idololatriam cum arte Magica coniunctam eſſe dico, ſed Magiam ſemper Idololatriam habere comitem contendo. Certè B. Baſilius Epiſtola ad Amphiloch. 3. Can. 80. id ſatis indicat. Et quanquam omnes Sacerdotes ac Sacrorum præfectos huic

initiatos fuiſſe nullo modo veriſimile ſit, attamẽ plurima extitêre apud Ethnicos Sacra, quæ arctiſſimam haberent cum Magia coniunctionem, & ne in ijs excutiendis longior ſim, Sacra Cereris Eleuſinæ aliquid quod Magiam redoleret habuiſſe videntur. Nam quid ſibi volunt hæc Varronis verba apud Macrobium libro 1. Saturnal. c. 16. *Mundus cùm patet Deorum triſtium atque inferûm quaſi ianua patet*. Mundum vocat arcana illa myſteria Cereris Eleuſinæ, de quibus Arnobius lib. 1. Clemens Alexandr. Exhortat. ad Gent. Apuleius Apologiæ prima parte. Serapidis & Iſidis addo Sacra, in quibus quid Magicum cerneretur edocet ijs ritè initiatus Apuleius, Milleſiarum libro ij. his verbis narrans quæ ſibi in illa initiatione viſa ſunt. *Igitur audi, ſed crede quæ vera ſunt. Acceſsi confinium mortis & calcato Proſerpinæ limine, per omnia vectus elementa, remeaui nocte media, vidi Solem candido coruſcantem lumine, Deos inferos & Deos ſuperos acceſsi coram & adoraui de proximo.* Ac ipſe Apuleius Magus, fuit Sacerdos prouinciæ, inquit beatus Auguſtinus Epiſtola 5. ad Marcellinum. Euſeb. Præparat.

Euang. libro 4. c. 1. ſcribit Sacerdotes Ethnicos nonnullos ſupplicio affectos, vt pote maleficos & Magos. Item Nicetas Theſauri Orthodox. libro 5. c. 20. Sacerdotem Herculis Tyrij incantationum reum fuiſſe declarat. Addo & Libanium iuſſu Placidię interfectum, quia Ethnicus & Præſtigiator, nec dubito quin Magicorum ſacrorum myſtes: De eo nonnihil diximus antea ex Photio Biblioth. c. 80. in Olympiodoro. Iungo etiam huic B. Cyprianum Martyrem Aſiaticum, qui à pueritia ſummo ſtudio Idola colens, facile ad maximam rerum magicarum peritiam peruenit, vt deſcripſit Eudoxia Auguſta, metaphraſi metrica, cuius meminit Photius Bibliothec. c. 184. in Eudoxia. Et Pſellus libro de Dæmonibus, ſcribit Græcis Magiam viſam eſſe facultatem quandam poteſtatis plurimæ compotem, atque adeò extremam eſſe Sacerdotij portionem. Græcos hîc non Græciæ accolas, non ea lingua vtentes populos tantùm accipe, ſed Ethnicos & infideles. Nam in nouo Teſtamento Marci 7. Chananæa vocatur ἑλληνὶς, id eſt Græca, non gente, cum

eſſet Syropheniſſa, ſed quia infidelis & Gentilis. Quæ vox eo ſenſu & in Actis Apoſtolorum, & in Apoſtolicis Epiſtolis reperitur, vnde Patres & Concilia paſſim ἕλλήνες Græcos ſeu infideles vocant. Qua in re grauiter lapſus eſt Alciatus vir alioquin ſummus, & quem Antonius Auguſtinus vt præceptorem nimis aperta noſtri Budæi ſugillatione, mirificè extollit, ait tamen ille Parergon libro 5. c. 2. Paganos cœpiſſe nominari ἕλλήνες ſeu Græcos, ſub Iulliano Apoſtata Imper. cum is edicto prohibuiſſet ne Chriſtiani Græcorum ſtudiis ſeſe dederent, ſed auditum antea nomen Græci pro Ethnico & Pagano, ſat indicauimus. Oſtendit igitur Pſellus Ethnicos eſtimaſſe Magiam ſummum eſſe apicem Sacerdotij, ſeu Sacrorum & ſacrificandi diſciplinæ, ita vt illorum ſententia nullus eſſet peritiſſimus ac inſtructiſſimus Sacerdos in illa veteri ſuperſtitione qui Magiam non delibaſſet modo, ſed abundè hauſiſſet. Lubens quidem ad ea nefanda ſacrorum genera referrem, quod prodit B. Athanaſius libro de humanitate Verbi. Scholas Magicas & artis Magicæ profeſſores

feſſores extitiſſe ante Chriſti aduentum, nam palam publicèque id fieri in omnibus ſacris & ſacrificiorum ritibus impunè non fuiſſet. Quanquam alioquin Tertullianus libro de Idololatria dixerit Magiam conceſſam vſque ad tempora Chriſti. Poſtquam de Magis Chriſti adoratoribus Aſtrologiæ peritis diſſeruit, ſubiungit: *Sic & alia ſpecies Magiæ, quæ miraculis operatur & iam aduerſus Moiſen æmulata patientia Dei traxit ad Euangelium vſque.* Beatus Hieronymus Tertullianum imitatus in c. 5. Epiſtolæ ad Galatas, Magiam vetitam eſſe nouo Teſtamento dixit. Verum illud eſt Tertullianum indicare Aſtrologiam, quæ Magiæ ſpecies eſt, ante Chriſtum damnatam non fuiſſe, & licuiſſe natiuitatem alicuius de cælo interpretari: At Magiam illam quæ veneficijs, Dæmonum euocationibus & ceteris præſtigijs conſtat, ante Chriſtum laudatam & vſu receptam apud Gentes melioribus inſtitutis & legibus temperatas, non eſt quod quis ſibi perſuadeat. Quemadmodum nemo ſanæ mentis crediderit, idcirco Magiam in veteri Teſtamento conceſſam videri, quia B. Hieronymo

loco citato, nouo Teſtamento vetita dicatur: At quàm ſæpius illud, ſeu apud Moſen ſeu alios Prophetas occurrit de Magis, Ariolis, maleficis & ſimilibus perdendis. Denique vt locum hunc de conſenſu Magiæ & Idololatriæ ante Chriſti ortum concludam, Tertullianus libro 3. aduerſus Marcionem, Magos Samaritarum nomine ab Eſaia titulatos ſcribit, quod cum Samaritis Idololatriam ſectati ſint: ac neſcio an rectius dicam etiam Samaritanos Magiæ non minus quàm Idololatriæ addictos, quæ res ab alijs tractata. Beatus Baſilius Epiſtola ad Amphiloch. 1. c. 7. Idololatras veneficis adiungit, Balſamo in hunc locum, Idololatras hîc præſtigiatores, qui ſuis incantationibus mira efficiant interpretatur. Photius Bibliothecæ c. 230. in B. Eulogio Alexandrino, narrat Doſithenos à Doſitheo Samaritano, gentilitio forſan errore, edoctos, aſſeueraſſe Idola ſeu ſimulachra Dæmonas eſſe, nec aliud Dæmonum genus quærendum. Poſt Chriſtum, etiam quos in errorem ex fidelibus induxit totius malitiæ artifex., vnà cum prauis dogmatibus eos Idololatriam ſimul cum Magia docuit. Ophitæ Hæreti-

ci, qui se Christianos iactabant, non modo serpentem adorabant, verumetiam magicas adhibebant præstigias, vt docet B. Epiphanius hęres. 37. & Nicetas Thesauri libr. 4. Philastrius Brixiensis libro de hęresibus, Ophitas ante Christum hæreticos fuisse scribit minus verè, nam B. Epiphanius Ophitas veluti Nicolaitarum & Gnosticorum sobolem, serpentem pro Christo coluisse disertè testatur. Nimirũ hæc aperta diaboli fraus, vt qui, Scriptura teste, toties serpens & draco vocetur, ac Serpentis delectetur specie. De quare Lactantius libro 2. c. 16. diuinar. instit. B. Epiphanius hæres. 42. ac Nicetas Thesauri libr. 4. c. 14. tradunt Marcionitas æneum serpentem adorare solitos. Quàm lepidè nec minus grauiter Iulius Firmicus libro de erroribus profan. religion. c. 27. dum excutit arcana totius Ethnicæ superstitionis, proferens illam quorumdam sacrorum formulam, σταυρὸς ἀρχόντων καὶ σταυρὸν ἀρχόντων πατήρ, Crux serpentis, & serpens crucis calcator. Sic enim senarium illum in Firmico deprauatum restituit Georgius Frogerus Theologus e nostris valdè eruditus &

beneuolens meus. *Fugite*, ait Firmicus, *ô miseri homines, fugite, & contagionem istam quantacumque potestis celeritate deserite, Draco est qui colitur. Latere non potest, proprietatem nominis sui ipse confessus est. Confessum reum pœna consequitur.* Multa idem varijs locis in illum Serpentem congerit. Elegans mystica interpretatio illa de Serpente apud Clementem Alexandrinum, in exhortatione ad Gentes, dum ait, Mœnades & flore Liberi saucias, bacchantes vlulare, Euam, Euam illam, per quam error est consecutus, & signum Bacchicorum Orgiorũ esse serpentem mysterijs initiatum. Addit insuper nomen *Heua* aspiratum, Hebræo significato, denotare serpentem feminam. Sic apud suos seipsum prodebat serpens omnium animantium callidissimus. Sed tãdem Ophitas illos & serpentinos relinquamus. Beatus Epiphanius hæresi 27. & Nicetas Thesauri libr. 4. narrat Carpocratianos hæreticos non tantùm veteris Idololatriæ non pauca retinuisse deliria, verumetiam & Magiam sectatos fuisse, & quidem summo studio, quoniam apud se scholas magicas haberent, in quibus nefandæ illæ artes discerentur. Prætereà Nicetas Thesauri

libr. 4. hæresi 42. commemorat Hæreticos nonnullos, quos Ethnophrones, hoc est Gentilium rituum & superstitionum imitatores appellat, qui vnà cum Ethnica Idololatria, vaticinia & diuinationes, præstigias & incantationes adhibebant. Non hîc quæro in genere, an hæresis perbellè cum Idololatria & Magia conueniat, nemini enim, cui cor modestè situm sit, dubium esse potest, has tres pestes vno partu, Orco parente, natas, atque illud nostro æuo toties repetitum, hæreseon duces ac principes, vel non obscurè vel tacitè, cum suo Vejoue consilia captasse. Pergo & inter fideles ostendo quæ veteris Idololatriæ reliqua erant deliramenta, ad magiam aliquantùm spectasse. Apertè Concilium Eliberitanum C. 6. asserit Magiam, quæ etiam maleficio vtatur, non esse sine Idololatria. Concilij Nannetensis extat caput 8. apud Iuonem p. ij. c. 38. *Summo studio decertare debent Episcopi & eorum ministri, vt arbores Dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, vt nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitus excidantur atque comburantur: Lapides quoque quos in rui-*

nosis locis & syluestribus, dæmonum ludificationibus decepti, venerantur, vbi & vota vouent & deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco proijciantur, vbi nunquam à cultoribus suis venerari, (aliàs inueniri) possint. Aperta equidem hæc erat Idololatria, sed quid ad artes maleficas? Obseruo, Ethnicæ superstitionis reliquias eiusmodi, magnam partem vel ad morborum remedia, dæmonis quidem operà, vel ad captanda auspicia, aut ad diuinationes spectasse. De medicina ægrotis facienda hoc Canone agitur, sed quæ à diabolo expectetur. Sic enim in sequentibus: *Omnibusque interdicatur vt nullus votum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo.* Eò spectat & cap. 6. Concilij Agathensis, vt citat Iuo, eadem parte c. 57. nam inter Canones illius Concilij non censetur. *Perscrutandum est si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam, quasi ad altaria faciat, aut vbi candelam, seu quodlibet munus deferat, velut ibi quoddam Numen sit, quod bonum aut malum possit inferre.* Ad morborum curationem, obscura & verè malefica arte, illud quoque pertinet apud

Martinum Braccarenſem in Collectione Synod. Græcar. c. 74. *Non liceat in herbarum collectionibus, quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes aut incantationes attendere, niſi tantum cum Symbolo diuino & oratione Dominica, vt tantùm Deus Creator omnium & Dominus honoretur.* Eiuſdem generis & illud in Pœnitentiali Bedæ c. ij. *Mulier ſi filium ſuum ponit ſuper tectum, aut in fornacem, pro ſanitate febrium, annum vnum pœniteat.* Citant Burchard. libro 10. c. 14. & libro 19. & Iuo parte ij. c. 41. Eſt & illud eiuſdem generis ex Concil. Arelatenſi c. 5. *Quicumque diuinos, præcantatores, phylacteria etiam diabolica, vel herbas, vel ſuccinos, aliàs ſuccos, ſuis vel ſibi impendere tentauerint.* Ita citant Burchard. libro 10. c. 33. Iuo parte ij. c. 58. Locus hic mutilus citatur apud Bedam in Pœnitentiali c. ij. ac *Cariagios & diuinos præcantatores* omiſit, Antonius Auguſtinus, vir ſingulari eruditione clariſſimus, ex veteri libro lacunam ſuppleuit, & *Cariagios*, in c. 14. Concil. Narbonenſis non editi, etiam memorari docet, quibus iunguntur *Sorticularij*. Ab Hiſpanico idiomate *Cariagi*, vocem deducit, & quidem apud nos Gallos *Cariage* vox eſt

quasi ludibrij & contemptus, fortè à pestilenti illo hominum genere, quod satis despicatui haberi non potest. Non tantùm fideles nonnulli à diabolo decepti, ijs ad sanitatem remedijs non legitimis vtebantur, verumetiam herbis & similibus rebus non sine tacito ipsius dæmonis auxilio & cultu in alicuius perniciem abutebantur. Ex Concilio Rhotomagensi c. 4. *Perscrutandum est si aliquis subulcus, vel bubulcus, siue venator, vel ceteri huiusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in biuio, aut in triuio proijciat, vt sua animalia liberet à peste & cladè, & alterius perdat, quæ omnia Idololatriam esse nulli fidelium dubium est, & ideò summopere sunt exterminanda.* Non aliter maleficium maleficio soluere Ethnicam superstitionem sapere dixit Concil. Ancyran. c. 24. Græcis, 23. Latinis, ita concepta lectio ex versione Dionysij exigui. *Qui diuinationes expetunt & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid, arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennij iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.* Expiatio

illa quam memorat, Gentiani verſione, dicitur medicamentorum inuentio ſeu luſtratio : Et Balſamo ad hunc Canonem, ſignificari ait morborum, arte magica, propulſionem ab ijs qui ſe ob maleficium vexari prædicabant. Profertur & idem Canon à B. Baſilio, Epiſtola ad Amphiloch. 3. & eſt c. 83. Variè citatur Canon hic à Burchardo libro 10. c. 5. Iuone part. ij. c. 2. Rabano, c. 23. Pœnitent. Martino Braccarenſi, collectionis. c. 17. Additione 2. capitul. c. 18. Subiungo & Chriſtianos ac perditos homines, dijs Gentium ſeu dæmonibus ſacrificaſſe, fortèan ſiue Magica inſtitutione, ſeu ex ritu Ethnico. Ita capitul. lib. 7. c. 315. memoratur Presbyter Dijs mactans ſeu ſacrificans, & Idolothytis, ſeu immolatitijs carnibus veſcens. Eodem pacto Iuris Græco-Rom. libro quinto, damnantur Sacerdotes, qui ritu Gentili columbas immolabant ad ſepulchra mortuorum. Beda in Pœnitentiali, c. 7. perſimile aliquid prodit, & quod ad Magiam referri videtur. *De his qui dæmonibus immolant, Theodori Epiſcopi conſtitutiones habemus, in quibus ſcriptum eſt. Qui immolant*

dæmonijs, in minimis anno vno pœniteant, qui verò in magnis, decem annos pœniteant. Referunt id Burchardus libro 10. c. 23. Iuo part.ij. c. 39. Non est quod immorer in alijs duobus exponendis, quæ ad captanda auspicia vel diuinationes pertinebant, nam hæc ab alijs abundè tractata sunt. Attamen illud de diuinatione tantum subijciam quod scribitur in Canon. 60. Concil. in Trullo & Balsamone in hunc locum, quosdam in Oriente extitisse, qui se à dæmone obsessos simularent, & nihilominus hac simulatione dæmones illis familiares fieri, illosque vti hac arte, vt vaticinari videantur more Gentilium, & ex eo quæstum facere, vel famam quærere. Vniuersim itaque illud vrgeo, has omnes vanas superstitiones, cum Magicis rebus semper copulatas, & Idololatriæ nomine damnatas. Ita enim Capitul. lib. c. 64. eos qui arboribus, lapidibus, fontibus, luminaria vel alias obseruationes faciunt, Magis & maleficis coniungit Capitul. libr. 6. c. 210. *Placuit vt fideles caueant vitia quæ ex ritu Gentilium remanserunt, id est Magi, Arioli, Sortilegi, Venefici, Diuini, Incantatores, Somniatores, Conjectores,*

quos diuina lex irretractabiliter puniri iubet. In iure Græco-Romano, lib. 5. in Reſponſis Nicetæ Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, vbi agitur de Incantatoribus, Veneficis, Circulatoribus, varijs pœnis, pro cuiuſque ſtatu, Eccleſiaſticis coercendis: reſpondetur, has eſſe Paganicas conſuetudines, nec in Republica Chriſtiana, & minus in Eccleſia Catholica ferendas. Impuratiſſimus ille Cornelius, Magicæ ſcholæ princeps libr. 1. de vanitate ſcientiarum c. 48. hæc omnia Idololatriæ fraudes vocat. Sed vt breuiter & dilucidè tota hæc diſputatio de Idololatria, quæ deprehenditur in Magia, concludatur, explicandum nobis eſt quot & quibus modis magi & malefici, ac vno nomine qui ijs artibus vtuntur, latriam & ſummum diabolo, non ſecus ac Deo, cultum exhibeant. Illos varios modos recenſet Eimericus, qui ante annos centum vixit, in Directorio Inquiſitorum 3. part. q. 43. Sic autem ſcribit: *Quidam dæmones inuocantes manifeſtè exhibent honorem latriæ dæmonibus inuocatis, vt pote ei ſacrificando, adorando, orationes execrabiles effundendo, ſe dæmonibus deuouendo, obedien-*

tiam promittendo, aliquid se facturos pro dæmonibus asserendo, per talem dæmonem iurando, per nomen alicuius superioris dæmonis, istum quem inuocant, adiurando, laudes dæmonum vel cantus in eorum reuerentiam promendo, genua flectendo, prostrationes faciendo, castitatem pro dæmonis reuerentia vel monito obseruando: ieiunando, vel carnem suam aliàs macerando, vestibus nigris, vel albis, pro dæmonis reuerentia, & artis monito induendo: per characteres & signa & ignota nomina obsecrando, luminaria accendendo, thurificando, de ambra, ligno aloes, & similibus aromaticis subfumigãdo, aues vel animalia alia immolando: sanguinem proprium ex se emittere procurando: sal in ignem mittendo, holocaustum de quouis faciendo. Omnia enim prædicta, & quamplurima alia nefaria in prædictis inueniuntur à dæmonibus consultata & concupita: in quibus omnibus & quolibet prædictorum honor latriæ, si prædicta bene considerentur, dæmonibus exhibetur. Si enim bene antiquæ & nouæ legis sacrificia Deo exhibita contemplentur, illico inuenietur, quod supradicta non dæmonibus, sed Deo sunt solummodo tanquam vera sacrificia exhibenda. Obseruandum interim hæc non collectim sed seorsim & per partes exhibita cultum latriæ indicare, quibuscum mens ipsa

consentiat. Locum hunc de Magiæ & Idololatriæ societate, &, vt veriùs dicam, germanitate, absoluam lepida & venusta historia, quam refert Paulus Venetus Peregrinationum suarum libr. 1. c. vltimo, & libr. 2. c. 2. editionis Venetæ, nam Basileensis aliter distributa. Magni illius Tartarorum Imperatoris Sacerdotes, & Idololatræ, & Magi, cùm Princeps mensæ accumbit, curant, arte sua magica, vt ex altera mensa crateres & scyphi aurei, mero pleni, nemine ministrorum iuuante, nequidem contingente, per aërem translati ad ipsum perueniant Imperatorem, ac postquam biberit, mox scyphi illi redeant suapte vi, vel potius dæmonum, ad priorem mensam, quæ in medio aulæ posita est. Cùm autem in Christianam religionem aliquantum propensus esset Princeps ille, qui tùm appellabatur Cham Cublai, aut Cobila, vt Haitonus Armenus in historia vocat, & rogaretur à Nicolao & Matthæo Paulis Venetis, quos ad summum Pontificem postea legationis ergò misit, cur Christi fidem non amplecteretur, respondit, Sacerdotes suos mira & stu-

pènda efficere, vt cõstabat in illa scyphorum transuectione, deinde Idola illorum loqui & responsa per se dare, ac res futuras prædicere, quod si ab Apostolico viri pietate & doctrina insignes ad eum mitterentur, qui suos docerent, hæc nonnisi dæmonum & spirituum malignorum arte fieri, atque maleficia & prodigia ista coercerent, virtutemque illam maleficam cohiberent, tùm curaturum se pollicebatur, vt & ipse & Summates Imperij sui, ac denique reliqui fidem Christi & Baptismum susciperent.

§. 7.

Sacrificium Magicum, quale, quotuplex.

NVnquam ego illorum probaui sententiam, neque probare possum, qui diaboli impietatem valde minuunt, cùm negant vel dæmonem sibi arrogare inter suos diuinitatis titulum, neque velle homines tam magnificè de se sentire, ac si diuinum aliquod Numen sit, quemque ita cum Deo

cumponunt, vt si litteratus aliquis seruus, dum dominum prospicit, magis de neruo, robore, aut de loco, vbi viuos homines mortui incursant boues, quam de ambiendo herili Imperio cogitet. Verissimè Regius Propheta Psal. 73. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Eusebius Præparat. Euangel. lib. 4. c. ij. apertissimè testatur dæmones artes maleficas & multa obscena excogitasse eo fine, vt ijs illecti homines, horum spirituum Principem & Archidæmonem, tanquam supremum Deum, putarent. Quod vt clarius explicem, in summo illo totius diuini cultus capite, quod sacrificio nititur, idipsum disquiramus. Beatus Augustinus libro 10. Ciuitat. c. 7. hoc discriminis adsignat inter bonos Angelos & malos, quod Eudæmones illi, & probi Angeli. *Quoniam, nos mortales & miseros, vt immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cuius & ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt.* Præclara eiusdem B. Augustini interrogatio c. 16. eiusdem libri. *Vtrum eis credendum qui se religionis ritibus coli volunt, sibi sacra & sacrificia flagitantes à*

mortalibus exhiberi, an eis qui hunc omnem cultum vni Deo creatori omnium deberi dicunt, eique reddendum vera pietate præcipiunt, cuius & ipsi contemplatione beati sunt, & nos futuros esse promittunt. Paulò post. *Respondeant, ait, an sacrificandum sit Dijs vel Angelis, qui sibi sacrificari iubent, an illi vni, cui iubent hi, qui & sibi, & istis prohibent.* At verò c. 19. eiusdem libri postquam docuit non alteri visibile sacrificium offerendum esse quam illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos & ipsi esse debemus. Post aliquantum adiungit: *Sed nec ob aliud fallaces illi dæmones superbè sibi hoc sacrificandi munus exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim re vera, vt ait Porphirius & nonnulli putant, cadauerinis nidoribus, sed diuinis honoribus gaudent. Qui ergo diuinitatem sibi arrogant Spiritus non cuiustibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subiectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum.* Sed singula seorsim expendamus, ac primò: Beatus Augustinus duplex hîc nobis designat sacrificium, vnum visibile, externum, & veluti corporeum: alterum spirituale & mysticum. Prioris

generis

generis sunt illa in veteri lege præscripta, de nostro Liturgico & externo, non est hîc dicendi locus. Posterioris exemplum vt qui sẽ Deo consacret & deuoueat. Alludit eò Apostolus Rom. 12. Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum; λατρείαν. Dæmones vtroque sacrificij genere nimiùm quantùm delectari, tum ex profanis primum, tum sacris scriptoribus, videamus. In prima illa testium acie, Magiæ siue professores, siue sectatores collocare æquum est, quandoquidem magistrorum voluntas illis probè cognita erat. Quanquam insigniores Magos, qui ante Christum vixerunt, appositè commemorare possem, tamen cum illorum facile principes iam attigerim suprà, & in immensum alioquin excurreret dissertatio, ab ijs abstinebo, licet tamen vnius Pythagoræ testimonium plurimum faciat ad institutam de Magico sacrificio disputationem. Ipsum autem Pythagoram Magum fuisse diserte ostendit Iamblicus in illius vita, præsertim capitibus 13. 19. 28. & id fir-

mat Tertullianus libro de Anima. Ammian. lib. 21. & hoc iã ab alijs tractatum. Præstat verò illos enumerare, qui post Christi aduentum vixerunt. Ab Iamblico Porphyrij discipulo ducendum exordium, quem magum fuisse, non tantùm Photius Bibliothecæ c. 94. in Iamblico, verumetiam Eunapius Ethnicus notat tùm in Iãblico, cùm in Ædesio. In illius vita narrat ipsum Iamblicum interfundendum preces, magicas credo, à suis visum ab humo plusquam cubitos decem sublimen raptum, & sublatum corpus, & vestimentum in aureolum colorem mutata, mox finitis precibus in pristinam speciem corpus redijsse, actum demum in terram descendisse. Subdit aliud, cùm Iamblicus à Sacrificio magico, quod in suburbiorum vno priuatum cum discipulis suis peregerat, in vrbem rediret, instar Sibyllæ. Virgil. 6. Æneid.

Non vultus non color vnus,
Non comptæ manserе comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri
Nec mortale sonans, afflata est numine quando

Iam propiore Dei. --

Ita Dæmone Iamblicum agitante, animo alienato, & voce velut interciſa, atque oculis aliquando in terram defixis atque immotis, aliam viamà priore, qua in vrbem reuerterentur, ineundam eſſe ſuos admonuit, quia illa altera prior, illoto cadauere, polluta eſſet, quod verum eſſe nonnulli è ſuis qui iſtam capeſſere contra præceptoris monitum voluerunt, deprehenderunt, & ſi nihil eorum apparuiſſet anteà. Porro Iamblico peculiarem fuiſſe inſtinctum illum afflatumque dæmoniacum, diuinum appellat Eunapius, ille ipſe teſtatur in Ædeſio. Omitto & illud quod alijs animad. uerſum, de excitatis ex vno & altero fonte duobus illis dæmonibus, qui homines hominibus conciliare ſolent, idque pauculis admurmuratis verbulis magicis, & quod ad rem maximè. vtriſque Iamblicum arctiſſimè velut patrem naturalem amplexantibus. Sed in Ædeſio, ad finem, cùm Ægyptius quidam magus Apollinem dæmonem euocaſſet, atque comparuiſſet ipſe, mirantibus & attonitis ijs qui aderant, Deſinite, inquit Iamblicus, mirari, eſt enim

gladiatoris qui ſingulari certamine interijt ſpectrum. Ad id certe ſpectat, vt illud obiter dicam, quod nos ſuprà §. 4. monuimus ex Tertulliano libr. de Anima: dæmones nonnunquam in ſpecie alicuius gladiatoris apparere. Iamblicus ex narratione Porphyrij illos teſtatur, nonmodo Deos ſublimes, ſed etiam mortuos ſimulare. Maximus Tirius diſſertatione 27. narrat dæmonem Achillis forma apparere, iuuenem flaua inſignem coma, aureis armis, tripudiumque militare ſaltantem & cantantem ad arma, viſum & auditum. Quin & ipſe Maximus teſtatur ſe etiam vigilantem vidiſſe & Æſculapium & Herculem, ſeu dæmones Æſculapij & Herculis figura & ſpecie. Sed ego de ſemita in viam: Iamblicus omnium accuratiſſimè apud Ethnicos de dæmonum natura, diſtinctione, facultatibus, actionibus, cultu, & ſacrificijs illis exhibendis diſſeruit, libro de Myſterijs Ægyptiorum. Quamuis vnum ſummum Deum agnoſcat, tamen reliquos minores Deos, & penè innumeros in varias claſſes diſtibuit, in Deos à Summo proximos, Archangelos, Angelos, Dæmo-

nes, heroes, animas. Attamen Stobæus Eclogarum Phyſicarum libro 1. citans Iamblicum, quatuor tantùm genera nominat. Maximus Tirius ait, diſſertatione 26. de Deo Socratis, tot eſſe dæmonum genera, quot ſunt hominum animæ, ſic enim interpretor illud φύσεις ἀνθρῶν Maximi, cùm diſſertatione ſequente 27. dicat dæmonem nihil aliud eſſe quàm animam corpore ſolutam. quanquam, illa ſuperiori oratione, diſtinctos dæmones & hominibus adſignatos ſcribat, pro cuiuſque ingenio, conditione & ſtatu. Iamblicus generali diſtributione Deos in immateriales & materiales partitur, & diſcretis ſacrificijs colendos eſſe tradit, quod antequam explicemus, quid de ſacrificandi neceſſitate & ſacrificiorum auctore ſcripſerit, audiamus. Principalem cultum, qui ſacrificio præſertim nititur, ſubſtantijs ſeparatis exhibendũ eſſe vult, atque adeò Dijs ſacrificandum eſſe neceſſario ſic demonſtrat: Nihil hominibus prius aut antiquius eſſe debere, quàm vt bellè cum dijs ipſis conueniant, at vis omnis & energia Sacrificij conſiſtit in quadam Deorum ad homi

nes communione, ita vt ſacrificijs ipſis ſublatis, iam nulla ſit illa cõmunio Deorum cum hominibus. Subiungit, Sacerdotem inter ſacrificandum operari ſæpe multa, quibus aliquid ſimile proprium-que diuinis efficiat, qua quidem cognatione aliquid diuinitus attrahat. *Sacerdotis* nomine, hîc Magum intellige. Apuleio ſiquidem Perſarum lingua *Magus* eſt, qui noſtra, id eſt Latina *Sacerdos* qui ritè norit ſciat atque calleat leges ceremoniarum, fas ſacrorum, ius religionum. Hæc ille in Apologia, qui Platoni in Alcibiade 1. Magiam nihil aliud ſignificaſſe dicit quàm θεῶν θεραπείαν Deorum cultum. Laërtius libro 1. ex Clitarcho, Magos dici tradit, qui Deorum vacent cultui, & preces illis ac vota & ſacrificia, quaſi ſoli ab ijs exaudiantur, offerant. Ac Magos Perſarum reipſa Sacerdotes exiſtere, vt indicauit Apuleius ſuprà, declarat Nicephorus libro 8. hiſtor. Eccleſ. c. 36. Idem teſtantur alij, quos nunc proferre nihil attinet. Quid autem illud ſit quod attrahi dixit Iamblicus alio loco explicat nimirum ſi Dijs grata & conſentanea offerantur, pro cuiuſque iſta-

rum conditione & qualitate, tum illos deſcendere, & moueri, & præſentes ſeſe demonſtrare, non imaginariè quidem ſed pefectè. Apuleius Apologia dixit idcircò Magum, communione loquendi cum Dijs immortalibus, ad omnia quæ velit incredibilia, quadam vi cantaminum, pollere. Eadem perſcribit Porphyrius libro de Sacrificijs & Dæmonibus. Sed iſta omnia diſtinguit Apuleius libro de Deo Socratis. *Nonnulli ſunt*, inquit, *ex hoc diuorum numero, qui nocturnis vel diurnis, promptis & occultis, lætioribus vel triſtioribus hoſtiis, vel ceremonijs, vel ritibus gaudent.* Paulò poſt. *Itidem pro regionibus in ſacris differunt longè.* Nec aliter Iamblicus, & diſtinctionem iſtam adhibet Sacrificiorum, & ordinem, vt inchoandum ſit ſacrificium à Dijs mortalibus, non enim aliter patere aſcenſum ad Deos immateriales, tum qui varias & diſcrepantes prouincias & regiones ſortiti ſunt, illis nec rei cuiuſlibet Sacrificium exhibendum admonet, ſed earum quidem rerum quæ naſcuntur in ijs locis, quorum ſunt illi rectores, ſiue ſint animalia, ſiue plantæ, ſiue animantia, & vbique *Sacer homo*: quod idem

refert Proclus libro de Sacrificio & Magia. Quid ſit *Sacer-homo* permulti viri eruditi explicarunt, & illum denotat B. Paulus 1. Corinth. 4. *Facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc*, alij legunt in Apoſtolo κάθαρμα, eodem ſenſu: Ex Apoſtolo vocatur *Sacer homo* & *peripſema* qui populi ſcelera quotannis luebat, Neptunoque hoſtia in mare proijciebatur, & mox proclamabant qui aderant: Purgamentum noſtrum eſto, aut ſalus & redemptio. Ex Druſio deſcripſi, Prouerb. Claſſe 2. lib. 4. Suidas explicat in voce περίψημα, & Budæus maximum Galliæ & Lutetiæ noſtræ decus. At verò infeſtiſſimus ille hominum hoſtis, non tantum his luſtralibus & humanis hoſtijs delectabatur, ſed ceteris etiam hominibus mactatis ad impuras aras, de qua re multa prophani Scriptores: Et Euſebius Præparat. Euangelicæ varijs locis, ac præſertim libr. 4. c. 7. & libr. 5. c. 6. vt ceteros ſacros auctores prætermittam. Quin noſtro æuo idem factitatum prodit Petrus Martyr Mediolanenſ. libr. de Inſulis nuper inuentis, vbi narrat homines in Inſulis immolari ſolitos, & dæmones humanis

istis victimis magnopere delectari. Sed quæret quispiam quid causæ sit cur dæmones tam ardenter homines sibi mactari & immolari expeterent? variæ à nostris rationes adsignantur, ego vnicam proferam ex Romanorum doctissimo Varrone libr. 16. rerum diuinarum, apud beatum Augustinum libro 7. de Ciuitat. c. 5. sunt autem eius verba: *Ideo à quibusdam pueri Saturno soliti sunt immolari, sicut à Pœnis: & à quibusdam etiam maiores, sicut à Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum.* Præterea Iamblicus, vt ad illum redeam, narrat legem Sacrorum & ritum sacrificandi atque inuocandi à primo parente mundi institutum, & omnia in sacrificijs symbola significantia aliquid occultissimum, ab eodem excogitata. Scimus equidem Adamum diuinitus edoctum sacrificandi morem, & posteros ab illo hunc accepisse: At Iamblicus de suis magicis tum cogitabat cùm hæc scripsit, quanquam & nonnulla admiscuerit quæ è nostrorum libris deprompsit. Diabolum verò & horum sacrorum & vno nomine, totius Magiæ auctorem suprà satis copiosè demonstrauimus. Nec mihi

placet viri linguarum peregrinarum cognitione clariſſimi ſententia, qui teſtatur libro de originib. Hetruriæ, ſe didiciſſe ab Æthiopibus Chriſtianis, ante diluuium, extitiſſe Chanochum vatem quemdam, qui ſcripſerit de rebus ſacris & vaticinijs, quod opus inter primos rituales ſacroſque libros in Eccleſia æthiopica extare ipſi affirmabant Æthiopes. Credat qui volet, vereor enim ne illi vitrum pro margarito ſit oblatum. Quantum verò ad ſymbola illa ſpectat, ego ijs etiam barbara vocabula comprehendi exiſtimo, quibus Magi in ſuis ſacris vti ſolent, quæ Porphyrius nihil ſignificare dixit, Iamblicus contrà, apud Deos aliquid ſignificare contendit. Certum eſt Zoroaſtrem Magiæ, auctore dæmone, inuentorem, dixiſſe barbara verba in Sacris non eſſe contemnenda. Nec mihi placet hoc loco interpretatio Reuchlinj libro 2. de Verbo mirifico c. 9. & 10. qua ipſæ Magicæ curioſitati nimium ſuppalpari videtur. Trithemius harum rerum non imperitus, in Incantatione, quam Goetiam vocat, ait adhiberi nomina ignota, ſigna etiam, & characteres. Veriſſimè Euſebius libro 5. Præparat.

c. 6. Barbara, & quæ nihil ſignificent, nec humana verba, adhiberi à Magis ſcribit. Nicetas poſt B. Epiphanium Theſauri libr. 4. c. 1. teſtatur multa vocabula barbara excogitata à Simone Mago. Euſebius libr. 4. Præparat. c. 1. ſcribit à Sacerdotibus, Magiæ non ignaris, inaudita quædam nomina inuocari, vt ipſi diuini videantur. Eodem pacto ſcribit Proclus libro de Anima & Dæmone, Sacerdotes in ſanctiſſimis Sacrificijs vel per verba, vel per ea quæ oculis oſtenduntur, in admirationem & ſtuporem præſentes adducere. Nomina interpretor ignotis vocibus expreſſa à Magis, vt docet B. Hieronymus in Epiſtolam ad Epheſios c. 6. *Barbara quædam nomina eorum eſſe dicuntur, vt ſæpe confeſsi ſunt hi, quos verè vulgus maleficos vocat, & incantationes, & preces, & colores varij, & diuerſa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ inuocati aſsiſtere dæmones, & infelices animas capere memorantur.* De Symbolis vero locus Apuleij intelligendus libro ij. Mileſiarum. *Sacerdos de opertis adytis profert quoſdam libros, litteris ignorabilibus prænotatos, partim figuris cuiuſmodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggeren-*

tes, partim nodosis & in modum rotæ tortuosis capreolatimque condensis apicibus, à curiositate profanorum lectione munita. Et sanè hæ litteris Ægyptijs non absimiles, atque Ægyptij genus omnium mortalium Magiæ addictissimum, Arnob. libro 1. id firmat, dum ait Gentiles calumniosè obiicere solitos Christianis, quod Christus Magus fuerit, clandestinis artibus omnia miracula effecerit, Ægyptiorum ex adytis, Angelorum potentium nomina, & remotas furatus sit disciplinas. Porphyrius, quem Eusebius libro 4. Præparat. Euang. c. 4. Dæmonibus valde amicum, & Eunapius, in eius vita, Magum fuisse demonstrat, Dæmonum naturam maximè inuestigauit, teste Eusebio, nihilominus ipse varius est, & variè titubat, non modò non Dijs quidem sed Dæmonibus sacrificandum esse dicit, libro de Abstinentia à carnibus, & hoc etiam refert tum ex ipso Porphyrio, tum ex Theophrasto, idem Eusebius libr. 4. Præparat. c. 5. modò Dijs summis sacrificandum, sed pura prece: Atque ex Theologorum sententia Dæmonibus sacrificandum esse, & quidem animalium cæde. Alio loco

eleganter Dæmonum technas & fallacias deſcribit, libro de Sacrificijs, cùm prodit Dæmones nos inducere ad ſupplicationes & ſacra facienda Dijs beneficis, quaſi illi nobis irati ſint, tum adeo verſipelles, vt miris præſtigijs ſeſe pro Dijs, quos bonos & benignos putant, ſæpius oſtentent, aut aliam induant perſonam: hæc autem & ſimilia præſtare ait ſtudentes nos à recta Deorum ſententia abducere atque ad eos adducere. Iamblicus præceptorem ſecutus, idem refert, videlicet in Theurgia, id eſt deifica operatione & ſacrificandi facultate, quæ ad Deos propitios & benignos, vt aiunt, pertinet, ſi tantiſper delinquatur, tunc non bona Numina, quæ optantur, ſed deteriora & malefica apparere, ſpecie & forma bonorum, ac vſu venire vt illi nequam ſpiritus in bonorum ſimilitudinem ſeſe transforment, & elati appareant, quique ſibi plura quàm poſſunt arrogent. Iis adtexam locum geminum germanum ex Arnobio libr. 4. *Si Magi, Haruſpicum fratres, ſuis in actionibus memorant Antitheos ſæpius obrepere pro veris, eſſe autem hos quoſdam materijs ex craſſioribus ſpiritus, qui Deos ſe fingunt,*

neſcioſque mendacijs & ſimulationibus ludant, cur ratione pari non credamus, hîc quoque ſubijcere ſe alios pro eis qui non ſunt, vt & veſtras opinationes firment, & ſi hoſtias cædi alienis ſub nominibus gaudeant. Sed vt locum hunc Arnobij non vrgeam : illud vnicum illorum Magorum præſtantiſſimorum Porphyrij & Iamblici teſtimoniũ quàm validiſſimum & efficaciſſimum cenſeri debet, aduerſus fanaticos illos homines, curioſarum iſtarum artium plus æquo amantes, neſcio quam Theurgiam & Magiam albam, probam, vt aiunt; fingentes, aliam verò Goetiam & atram Magiam, quam & ipſi ſe damnare profitentur: at cuius ſponſione non Dæmones ſed Angelos & benignos ſpiritus ſuis precibus euocari & comparere aſſeuerabunt? Sed hi priſci Magi, rerum iſtarum ſcientiſſimi, nihil certi ſtatuunt & decernunt, quin potius totum iſtud negotium periculi pleniſſimum eſſe ſatis manifeſtè oſtendunt, atque illud in primis obſeruandum, dæmones omnem iſtam turbare ſcenam, ſi in his ſacris magicis tantillum peccetur. Apuleio libro de Deo Socratis, *Sæpe numero indignata numina ſi quid in ſacris ſocordia vel ſuper-*

bia negligatur. Ac quis illorum tantæ peritiæ aut confidentiæ est, qui nihil eorum quæ ad sacra sua necessaria videbantur omiserit? Nam & ipsi Dæmones per Magos innumera præscripserunt, & adeo implexa, obscura, intricata, vt qui in iis versatissimus sit, nondum tamen ea plenè percepisse sentiat, Magistris siue Dæmonibus, modò temporis articulum, modò loci situm, modò rerum appositarum quantitatem, qualitatem, ceteraſque eiusmodi nugas variatas causantibus. Confirmat illud Reuchlinus eius artis non ignarus libr. 2. de Verbo mirifico c. 1. Ecquis igitur tam apertæ, tam manifestæ fallaciæ mentem fidemque adhibeat, nisi quem Deus in reprobum sensum dederit, nec enim Princeps ille aëris operatur ista nisi in filiis difidenriæ, ait Apostolus Ephes. 2. Procul, igitur, procul fictitia & commentitia illa distributio Magiæ in Theurgiam, seu albam & Goetiam siue nigram: de qua beatus Augustinus libr. 10. Ciuitat. Dei c. 9. ex Plotino, Porphyrio, Apuleio, & aliis, qui hoc defendunt. quidni duplicis generis dæmones statuant, albos nonnullos, alios ni-

gros, sic enim eloqui liceat. Hæc cùm dico, mihi in memoriam redit quod apud Paulum Venetum histor. Orientalis lib. 3. c. 21. aliquando me legisse recordor, Malabar prouinciæ incolas apud Indos diabolum depingere album, ac præterea omnes albos esse sic existimare. Bonam certè illi Indi à nostris Magis inibunt gratiam. Equidem Glossarium vetus *Aquilos* interpretatur Dæmones, qui in similitudinem aquarum appareant. postrema hæc non probo, nec quid sibi velint mihi liquet, nec enim Festum hîc excutio. Scio Aquilum Plauto & Scriptoribus, præsertim Africis, fuscum & nigrum dici, hinc rectè Dæmones Aquilos nuncupabimus, hoc est subfuscos & nigricantes, quales maxime in corporibus assumptis apparere consueuerunt. Sed vt è diuerticulo in semitam redeam, hoc vnum adijciam ex Proclo, libro de Anima & Dæmone: In sanctissimis quibusque expiationibus & sacris antequam ipse Deus adsit, Dæmones quosdam terrenos occurrere. Quis Mago vel malefico euocanti bonum Angelum, mystica illa & magica ceremonia, indicauit Alastores illos & nefarios

nefarios ſpiritus, qui primi occurrerunt, cùm ſerio poſtmodum res acta eſt, receſſiſſe, ac locum bono Angelo conceſſiſſe, niſi fortè Dæmones terrenos aliquos fateantur bonos & beneficos, quales finxerunt Cabaliſtæ. Ac auctor libri de originibus Hetruriæ, teſtatur non modò Pythagoricos, ſed etiam Moſen eiuſmodi Dæmonibus ſuas partes deferri voluiſſe. Et quidem in Sacris Moſaicis, hircorum duorum qui offerebantur pro peccato, Leuitic. 16. alter mittebatur in ſolitudinem ad Azazel Genium ſeu Dæmonem terreſtrem, vt ipſi aiunt: Sed qui bonus iſte Dæmon terrenus cenſeri poteſt, cùm ex eorumdē Cabaliſtarum ſcientia ab ipſo Dæmone caro rebellandi vim habeat: quod hîc de Pythagoricis dicitur, ad illam ipſorum cum Dæmonibus familiarem conſuetudinem pertinere credo, de qua Ariſtoteles apud Apuleium libro de Dæmonio Socratis, dixit, Pythagoricos mirari ſolitos, ſi quis ſe denegaret vnquam vidiſſe Dæmonem: Sed quis non rideat commentum iſtud de benignis Dæmonibus terreſtribus, quàm veriùs illud Minutij Felicis in Octauio, etiam teſtimonio Hoſtanis

Magorum & alloquio & negotio primi Dæmones terrenos vagos & humanitatis inimicos esse. Scio Iudæos in Thalmud etiam comminisci viam & rationem cogendorum Dæmonum, quam improbari non posse existimant, videlicet, si quis omnipotentis Dei, vel Angelorum, sanctorumque virtute & nominibus, dæmones ita sibi subijciat, vt eorum ministerio vtatur pro arbitrio. Vnde Clemens Alexandrinus, in Protreptico ad Gentes, ait Magos gloriari se Dæmones habere suæ impietatis ministros obsequentes, & quidem coactos vi suorum carminum. Sed ista est Theurgia, quam nobis obtundunt verpi illi & recutiti, de qua diximus antea, quæque valde periculosa, quemadmodum scribit Paulus Riccius, tractatu de Mosaicæ legis mandatis, vt metus quem irritati Dæmones incutiunt, & imminens periculum id audere & tentare homines non sinant. Quod quidem satis copiosè & disertè ex ipsis Magis Porphyrio, Proclo, & ceteris exposuimus. Et quanquam vt hoc obiter dicam, Riccius ille, è Iudæo Christianus factus sit, nihilominus scripta ipsius nec

pura sunt, nec puræ fidei. Interim expiationes illas Magicas, de quibus Proclus, intelligere licet quæ Magis ipsis *Teletæ* vocantur, vt Iamblico, Porphyrio, libris citatis, Apuleio libr. ij. Milesiarum, nec non Varroni apud beatum Augustinum libro 4. Ciuitat. Dei. c. 31. item & Platoni libro 2. de Republica, quarum inuentionem tribuit Orpheo, Lino, & similibus Magis veteribus. Pergamus porrò, & reliquorum Magorum studium in Sacrificijs Dæmonibus exhibendis, post Christi ortum, agnoscamus. & quanquam permulta eius rei exempla passim Eunapius suppeditet, quæ omnia si describere vellem, otio penitus abuti viderer, paucis & ijs quidem præcipuis contentus ero, sed ne quis eiusmodi narrationibus parum fidei adhibendum putet, audiat effatum istud & proloquium certissimum Eunapij in Ædesio, diuinum cœtum, sic magorum collegium vocat, respuere mendacium & omnem sermonem vero minimè congruentem. Nihil hîc de Sosipatra, cuius Eunapius meminit in Ædesio, è quo & alij, totis quinque annis interduos impuriſſimos Dæmones

incubos, fœdiſſimè volutata, & ab ijs in reconditioribus Magiæ myſterijs inſtituta, nihil de Antonino eius filio, qui in Ægyptum profectus, ſacris myſterijs atque arcanis, citòque in Dæmonum contubernium receptus eſt. Maximus & Chryſantius Philoſophi Iuliani Apoſtatæ Imperatoris, in rebus magicis doctores, optimè inter ſe conueniebant ſimulque in edendis mirandis rebus per diuini, vel potius dæmoniaci afflatus ſpeciem, occupati erant, ait Eunapius in Maximo, ſed ille præſertim coram ipſo Iuliano, quàm potens ſit Magicum Sacrificium declarauit, in quo poſtquam Maximus ipſe apud ſe hymnum, neſcio quem admurmuraſſet, Hecates Deæ, in cuius æde verſabantur, ſimulachrum reuidere cœpit, & js quidem verus riſus extitit, tùm ſubortus luminis fulgor faces accendit, quibus præſtigijs Iulianus adeò motus eſt, vt exoſculato Chryſantio, qui illi Maximum indicarat, Epheſum ad Maximum doctrinæ cauſa ſe contulerit. Plura de iſtius Maximi Sacrificijs magicis tum in Maximo, tum in Chryſantio Eunapius, qui ſimul Magicas artes ipſius Chryſantij

ſatis diligenter recenſet, quo pacto Solem tantùm aſpectans Chryſantius, oracula vera & ad geminam afflati, Numine infero, Spiritus ſpeciem conformata funderet, tum repetita diuinationis ergò toties Sacrificia: Si cui nimius videar in his recenſendis, ille profectò veniam dabit, vbi mihi propoſitum illud eſſe cogitet, oſtendere adeò Magicæ diſciplinæ coniunctum eſſe ſacrificandi officium, vt nullus vnquam diabolo, magicis pactis ſeſe addixerit, quin eidem lubens & volens ſacrificauerit. Hoc ſæpius inculcat Euſebius, præſertim Præparat. Euangel. libro 5 c. 6. Dæmones cultu & adoratione honorari à magis & maleficis: & certè in veteri Gloſſario quod citat Turnebus, ille alter pollitioris litteraturæ parens, malefica vocatur *Tegularia*, eo quod ſupra tegulas ſacrificet. Vnde licet emendare Iſidori Gloſſarium, in quo ſic habetur, *Tegellaria venefica*, legendum *Tegularia*. Et poſtea, *Tugellaria Maleficia, eò quod ſuprà tegulare ſacrificent.* Legendum, Tegularia Malefica, eò quod ſuprà tegulas ſacrificet. Sed quoniam varij ſunt impietatis gradus, non omnes idcircò qui

magicas artes conſectantur, vel exercent, eodem pacto niti, eodem ritu initiari, eodem flagitio obſtringi dixerim, neque omnes ſacrificare, ſunt enim illorum claſſes & ordines diuerſi, de quibus nobis primum breuiter dicendum, tum de ſacrificiorum multiplici genere, quod veterator ille primarius excogitauit, quoque ſe pro Deo coli voluit à Pſeudo-Chriſtianis, quos vel ſimpliciores & rudiores luſit, vel hominum poſtremiſſimos in profundum totius impietatis barathrum præcipites dedit. Non omnes hîc omnino magicæ artis ſpecies recenſere conſentaneum videtur: nam, vt cum Tertulliano dicam, in Scorpiaco, Tot venena, quot genera, tot pernicies quot ſpecies, tot dolores quot colores. Et quàm diligentiſſimè omnes enumerauit Trithemius lib. 1. Antipali, & ante illum Eimericus in Directorio Inquiſitorum c. 43. Verum Baſſamoni Chriſtianorum eorũ qui maleficas artes exercent, quidam ejerato Chriſti nomine, diabolum ſummum dominum, à quo vno toti pendeant, data fide agnoſcunt: alij fidem Chriſtianam ſeruantes, curioſa magis

anxietate, vel alicuius neceſſitatis prætextu, exitioſam illam explorant artem, vt habet B. Gregorius Nyſſenus, Epiſtolæ Canonicæ ad Latrium c. 3. Prioris generis omnes diabolo ſacra faciunt. Balſamo in Can. 36. Concilij Laodiceni ſic enumerat & exponit, Magi vocantur, qui ad Sathanam propter aliquam cauſam accedunt, incantatores, qui carmina ſeu incantationes dicunt, & per ea Dæmones ad ſuam voluntatem attrahunt. Aſtrologi, qui per aſtra diuinant, auxilium eis ferente Dæmone. Mathematicorum genus diſtinctum facit, ſed ad Aſtrologos pertinere iam à multis expoſitum. Vates & diuinatores iſtos duplicis generis idem facit Balſamo in Canon. 71. & 83. B. Baſilij: nam alij fidem Chriſti non abnegant, alij Apoſtatæ fiunt & planè à fide impiè deficiunt, hos ergo exiſtimo intelligi ab eodem Balſamone, cùm ſcribit in Canon. 61. Concilij in Trullo, Vates ſeu Diuinatores, per ſacrificia, patrem ſuum Sathanam de aliquo interrogare, & totos ſe Dæmoni addicere. Nec tantùm hoc nomine Diuinatorum coniectores rerum futurarum ſunt intelligen-

di, sed & qui in vngue oleo delibuto, addito magico sufurro, res absentes & longo interuallo dissitas cognoscunt: vt contigit in Hispano Summate, qui iussu Principis sui fœderatis à Turca obsessis opem laturus, non prius classem è portu soluere imperauit quàm in excantato vngue impuberis conspexisset Turcas vasa conclamantes, & in naues sese recipientes. Quod ego à nobili & generoso equite accepi, qui tum inter obsessos agebat bellicis machinis præfectus. Quos autem illo loco Balsamo Hecatontarchas siue Centuriones, vt vocat, superioribus adiungit, exponit ipse, quosdam fuisse iam prouectæ ætatis homines, rerum istarum magicarum magis reconditarum & occultarum peritissimos, quique Primicerij dicebantur idcircò, quorum imitatione Magi nostri Septuaginta magistros maximæ scholæ Magicæ, quam Toletanam appellant, memorant, quemadmodum agnouit Magus quidam, ante annos aliquot, Lutetiæ suspendio necatus. Illos verò Primicerios, per execrandas operationes, seducere simpliciores scribit Balsamo, nec operationes illas com-

memorat, quas ego arbitror non alias fuisse quàm responsa à Dæmonibus, spectri alicuius specie data, aut similia, quibus Græcos plurimum delectatos, testantur historiæ Bizantinæ Scriptores, sed illud animaduersum iam ab alijs. Vetulas incantatrices nonnullas Deum abnegare, alias verò minimè, prodit idem Balsamo in vtrumque Canonem citatum B. Basilij, sed vtrasque Dæmonem inuocare ex illius narratione mihi nullo modo dubium, & illas accenset Magis & diuinatoribus, quos omnes sacrificijs diabolum colere, partim expressit, partim ex cuiusque interpretatione satis apparet: & nos in Sacrificiorum Magicorum varijs generibus, demonstrabimus. Trithemius anxius nimium & curiosus indagator rerum magicarum lib. 1. Antipali, maleficorum quatuor genera enumerat. Primum eorum qui & si nullum pactum manifestum habeant cum Dæmonibus, nec carminibus magicis vtantur, attamen venenis propinatis multa efficiunt, & Dæmonum opera pessima sequuntur. Secundum eorum, qui licet Dæmones expressè non inuocent, attamen

incantatione vtuntur ad lædendum, & præcantatione ad ſanandum: ad hoc genus refert Necromantiam, Hydromantiam & ſimiles. Tertium, eorum, qui pacto interueniente non ſe ita Dæmoni addicunt, vt quartum genus, ac nihilominus Dæmones cooperatores inuocant ſuis actionibus maleficis. Quartum genus eorum qui non ſolum adiutores habent Dæmones vt ceteri, verum etiam, abnegato Baptiſmo & fide Chriſtiana, ſemetipſos nefando profeſſionis genere, in ius & poteſtatem Dæmonis tradũt. Multa hîc congerit Trithemius quæ nec probari poſſunt nec defendi, & diſquiremus poſtea. Ac quidquid ipſe dicat, demptis maleficis primi generis, reliquos omnes ſacrificia adhibere facile ex ipſo etiam Trithemio conuincemus: at qui ſunt primi generis cultum tacitum Dæmoni exhibent, quin potius apertum, ſi Eimerico credimus, velut antea adnotauimus. Omitto peculiare genus iſtud hominum planè ſacerrimorum, qui pactis & tabulis nefandis, nec non obſignatoribus ex Orco petitis, ſeſe cum Dæmonibus ſuccubis vel incubis conuenas exhibent.

Scio à multis propudioſam iſtam venenerem irrideri, audiant ſaltem Bedam virum veneratione & fide dignum. Is in c.8. Lucæ libro 3 Commẽt. ita de hac re ſcribit, poſtquam diſſeruit nonnullos à Dæmone poſſideri, qui vel incubi vel ſuccubi vicem ſubeat, & in exorciſmis Dæmonem cogi vt ediſſerat modos ejerandi, quibus amoris ſui fœdus, inter ſe, ſeu vir, ſeu femina, cum Dæmone ſuccubo vel incubo pepigerit. *Quæ*, inquit Beda, *mendacio ſimillima res, ſed adeò vera, & plurimorum eſt atteſtatione notiſsima.* Verum iſta nec noſtri inſtituti, & à quamplurimis certiſſimè demonſtrata. Ac certè cùm leges Imperatorum, Magorum nomine, omnes, quos ſuprà recenſuimus, complectuntur, illos etiam Sacrificia dæmoniaca celebrare teſtantur. Cod. Theodoſ. tit. de malefic. & mathemat. l. 7. *Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut Magicos apparatus, aut ſacrificia funeſta celebrare conetur, delectum atque conuictum competenti animaduerſione mactare, perenni auctoritate, cenſemus.* Interpretatio legi annexa, ſic habet, *Quicumque nocturna ſacrificia dæmonum celebrauerit, vel incantationibus dæmones in-*

nocauerit, capite puniatur. Paulus 1. c. Sententiarum libro 5. tit. 23. *Qui Sacra impia nocturnaue vt aliquem obcantarent, defigerent, fecerint, faciẽdaue curauerint, aut cruci ſuffigantur, aut beſtijs obijciantur.* Ex Senatuſconſulto damnata mala Sacrificia quæ memorat Vlpianus, ff ad l. Corneliam de Sicar. & venef. l. 13. non alia quàm Magica Iuriſconſulti explicant, quibus cœtus illos nocturnos Sagarum & maleficorum adumbrari nullus dubito. Cuiuſmodi verò diabolo à magis & ſacrificiũ maleficis offeratur, nunc expendamus. Primi generis Sacrificiũ obſeruamus, quod rebus ſub ſenſum cadentibus, & ijs quidem multiplicis generis, conſtat, nam aliæ ſunt è terra procreatæ, vt flores, plantæ, vt thus & ſimilia, aliæ ex homine ipſo petuntur, vt cùm quis vel ſeipſum Dæmoni, vt gratiſſimam victimam deuouet, aut alium hominem. Secundi generis, cùm ea quibus perficitur ſacrificium, à nullo niſi ab ipſo Mago vel malefico percipiuntur, veluti cùm diabolus nouerit Deo acceptum eſſe ſacrificium quod fit pura prece, ita ſibi tacitis precibus & hymnis ſibi ſacrificari expetierit. Vno nomine vel eſt corpo-

reum ſacrificium, vel ſpirituale. Singula iam explicemus, nec eſt quod commemorem diabolo, poſt Chriſti ortum, etiam animantes mactatas & immolatas apud Barbaros, qui ſeu in India Orientali, ſeu in Orbe nouo degunt, ſed qui ſe Chriſtianos iactãt, & licet expreſſum cum Dæmone pactum non ineant, nihilominus tamen non ſine alicuius Sacrificij modo & ritu, Dæmonem euocare, quem aliquid rogent, planè non audent, ſed adhibent ſelectas quaſdam herbas & plantas, & quod caput eſt huius myſtici & malefici ritus, thure ſemper vruntur, quod Sacrificij, qualecunque illud ſit, certiſſimum argumentum eſſe, nullo negotio docebimus. Arnobius libro 7. aduerſus Gentes: *Sine thure religionis officium claudicat*: indicans Sacrificium, quo religio nititur, ſine thure vllo modo confici non poſſe in illa Ethnica ſuperſtitione. Optatus Mileuitanus libr. 3. duas memorat formulas, quas Ethnici vſurpant in Chriſtianis exagitandis, & ad Apoſtaſiam impellendis, Aut thus pone, aut Baſilicas dirue, poſtremum hoc nunc non explico, quoniam non eſt res huius loci, & alias vocat

id, Templa Dei viui ſubuertere: repetitque eamdem ſententiam. *Thus pone*, quam ſic explicat, *Sæuiebat bellum Chriſtianis indictum, in templis dæmoniorum diabolus triumphat, immundis fumabant aræ nidoribus, & qui ad ſacra ſacrilega venire non poterat, vbicunque thus ponere cogebatur. Omnis locus Templum erat ad ſcelus.* Ex ijs intelligimus Chriſtianos Ethnicis viſos eſſe ſacrificaſſe Dijs ſuis, ſi modo thuris granulum acerræ impoſuiſſent. Beatus Hieronymus Epiſtola 1. ad Heliodorum ritum ſic illuſtrat. *Non eſt tantum ſeruitus idoli ſi quis duobus digitulis thura in buſtum aræ iaciat.* Atque ſacrificati, quos nominat multoties. B. Cyprianus, illos etiam qui thus dumtaxat inieciſſent, complectebantur. nam duplicis generis tantum facit eos qui in fide Chriſti titubaſſent, alios Libellaticos, qui leuius, alios ſacrificatos, qui grauiùs deliquiſſent Epiſtola 52. ad Antonianum. Certè Optatus ipſe ſub finem libr. 2. contra Optatum, thurificare pro ſacrificare, generali quidem ambitu dixit, non quod ſacrificium omne thure conſtaret tantummodo, ſed quod nihil vel frequentiùs vel gratius Dijs offerri poſſet

quàm thus. Tertullianus vt Chriſtianos à ſacris & ſuperſtitione Gentilium planè alienos eſſe demonſtret, ait Apologet. c. 42. *Thura planè non emimus: Si Arabiæ quæruntur, ſciant Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm Dijs fumigandis.* Tertullianus idem libro de Idololatria myſticè explicans tria illa dona Magorum Chriſto oblata, Thuris, Myrrhæ, & Auri, ait iis ſignificari clauſulam ſacrificationis Thure & Myrrha, & gloriæ ſæcularis Auro, quam Chriſtus erat adempturus. Poëtis id obſeruatum; & vnus mihi Plautus teſtis locuples, qui in Milite glorioſo, inducit proſtibulam, quæ ignē in aram poſcit, vt Epheſiæ Dianæ Arabico fumificet odore, quod illam inlocis Neptunijs templiſque turbulentis ſeruauerit. Eodem pacto in Truculento, altera, *Date mihi*, inquit, *ſtaĉlam atque ignem in aram, vt venerem Lucinam meam.* Deinde. *Verbenam, Thus & bellaria ſibi afferri poſtulat.* Itidem, *Thuris granum ſacrificare*, dixit in Pœnulo. Plinius libro 22. *Thure ſupplicamus.* B. Petrus Alexandrinus Patriarcha & Martyr Canonibus Pœnitentialibus c. 5. loquens de Chri-

ſtianis in Idololatriam lapſis, dixit ignem facere, & Thus apponere, pro ſacrificare. Eodem pacto Eunapius Maximum Philoſophum & Magum ſacrificantem, Thuris micam emundatam in ignem conieciſſe ſcripſit. Denique vt id abſoluam, Tertullianus libro de Idololatria, Chriſtianum Thurarium appellat, qui Dijs ſeu Dæmonibus ſacrificauerit. At verò in ſacris Magicis, ſiue cum Dæmone agatur ex pacto expreſſo, ſeu tacito & meris euocationibus, Thus adhiberi ſcribit Trithemius harum rerum ſciens, & ille alter princeps Magus, quantum hominum terra ſuſtinuit, ſacerrimus. hoc diabolo malefici & Magi cultus & fidei ſuæ erga illum euidentiſſimum præbent argumentum. Secundi generis hoſtiæ diabolo à ſuis exhibitæ, ſunt, qui, vt diximus, non in clientelam modo vt patrono, ſed vt ſeruitutem ſeruiant perpetuam, tanquam mancipia viliſſima crudeliſſimo domino dedere ſe flagitioſiſſimè profitentur. Quemadmodum in duabus pacti magici formulis quas ego perlegi, diligenter obſeruaui, & harum altera in ſupremo Senatu lecta nec ſine

horrore:

horrore. Trithemius libro 8. quæstion. ad Maximilian. Cæsarem q. 5. sic describit, maleficarum nomine etiam maleficos complexus. Pernicioſiſſimum genus maleficarum, quæ pacta ineunt cum Dæmonibus, & profeſſione ſolẽni præmiſſa, in ius proprietatis perpetuumque obſequium Dæmonum alicui ſemetipſas tradunt, ſe mente & corpore Dæmonibus offerunt. Et poſteà, maleficarum aliæ carminibus Dæmones aduocant, aliæ præcationibus & ſacrificijs eos alliciunt, reliquæ nefandis rebus & ceremonijs. Sunt & alij qui Dæmoni aliorum capite & vita litant, cuiuſmodi memorantur apud Trithemium libro 2. Antipali. c. 3. Sagæ illæ & maleficæ mulieres, quæ infantes ex vteris puerperarum exceptos diabolo ſacrificare & offerre, atque eoſdem execrabili quadam verborum forma baptizare, ac nonnunquam acu, vel re ſimili, capiti infixa, necare ſolent. Et quoniam de Baptiſmo, vt ita loquar, magico incidit ſermo, in Epitome Canonum Harmenopali, ſectione 5. tit. 1. de Laicis, extat Scholion ad Canonem 7. Synodi ſecundæ, & Can.

7. Laodicenæ, quod nos docet, Sarracenos ſolere nonnunquam pueros ſuos Sacerdotibus Chriſtianis offerre baptizandos, & aliquando cogere Sacerdotes vt id præſtent, at praua & nefaria voluntate id tentare Muhamedicos illos, nimirum, vt illo baptiſmo, ad veneficia & magicas incantationes peragendas vtantur. Quid ſibi velit genus iſtud impietatis non mihi planè compertum, quanquam obſeruo apud Balſamonem in Can. 19. Concilij Sardicenſis, & in Can. 85. Concilij Trullani, Agarenos ſeu Sarracenos olim pueros ſuos ſacro Chriſtianorum Baptiſmo ablui curaſſe, fine duplici, tum vt corporis fœtore illo natiuo & ingenito purgarentur, tum vt à Dæmone, qui eos diuexare ſolebat, liberarentur. Ac iuris Græco Roman. libro 3. in Luca Patriarcha c. 13. ſcriptum eſt Agarenos vocatos coram Patriarcha in Synodo id palam declaraſſe, & Græcos Epiſcopos, vniuerſamque Synodum, Præſide Luca Patriarcha, cenſuiſſe illos Agarenorum filios denuò baptizandos, quia ipſi Sarraceni Baptiſmum non vt omnium animæ ſordium mundatorem, diuinæque lucis ac

ſanctificationis præbitorem, ſuis poſtulauerint, ſed tanquam veneficium & incantationem. Et neſcio an ad ſecundum illum finem ſpectet, quod ſcribit Iſidorus Peluſiota libr. 1. Epiſtola 125. Gentiles ſuo tempore dicere ſolitos, Malis circundati ſumus, filios quamprimùm baptizemus: Angelus fortaſſe myſterio flectetur, quanquam referri poſſit ad id quod ſcriptum eſt Exod. 4. de Angelo minitante mortem Moſi, qui tum placatus eſt cum Sephora vxor Moſis filium circuncidiſſet. Beatus Auguſtinus aliud quidem Magico ritui non abſimile narrat Epiſtola 23. ad Bonifacium, quum grauiter reprehendit parentes, qui baptizatos pueros Dæmonijs obligabant. Mirum illud certè quod narrat Petrus martyr Mediolanenſis, libro de Inſulis nuper inuentis, apud Cempoalanos Barbaros, annículos pueros puellaſque, quibuſdam ritibus & ceremonijs ſacris baptiſari à Sacerdotibus in Templis, aqua ex vrceolo capiti eorum in crucis formam ſuperiniecta, verba quidem non percipi ille ſcribit, ſed dumtaxat actus & murmura animaduerti. Quod, vel ipſi bar-

bari à Christianis quibusdam acceperunt, aut teterrimus ille præstigiator sacra mysteria æmulari in suis voluit, quod in genere suprà à nobis monstratum est. Satis superque opinor monstratum est à nobis, Magos & maleficos cum diabolo, nec paciſci, nec seriò tractare, quin illum sacrificio aliquo quale quale illud sit, & placent & colant: sed vt quod de adoratione antea nonnihil diximus, exemplis illustremus, & concludamus perquàm necessarium videtur, ita tamen, vt solũmodò dignissimos auctores proferam. nam Sprengeros Nideoros & similes, nonnisi gerras germanas narrare dictitant isti Sceptici. Paladius Euagrij discipulus, & Socratis historiæ Ecclesiasticæ scriptoris, elogio satis commendatus, in Sanctorum historia c. 31. narrat diabolum noctu Valenti Monacho apparuisse, sed miro apparatu, præcedentibus mille Angelis, lampades ferentibus, tum ignea rota sub sequente, in qua dæmon figuram Seruatoris exprimere visus est, sed proximè qui illum antecedebat Angelus, sic Valentem affatus est, Christus tuum dilexit institutum, tuamque vi-

uendi libertatem & confidentiam, venit itaque vt te videat: Egredere ergò è cella, & nihil aliud feceris, nisi, cùm procul eum videris, procumbens eum adora, & tum in cellam regredere. Seuerus Sulpitius lib. de vita beati Martini c. 25. *Diabolus B. Martino circumtectus ipse luce purpurea, quo facilius claritate adsumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, vt nihil minùs quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit, hæsitanti & anxio B. Martino dixit, Agnosce Martine quem cernis, Christus ego sum, descensurus ad terram, dubitanti sanctissimo viro iterum ingerit, Martine quid dubitas credere cùm videas? Christus ego sum.* Ac ne fruſtrà quiſpiam putet diabolum tam magnificè tamque impudenter de ſe locutum, ſed adorari ſe à B. Martino tum temporis expetiuiſſe, teſtatur vir paris ſanctitatis & doctrinæ commendatione clariſſimus, B. Paulinus Gallus, Beatis Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino chariſſimus, ſic enim mirum iſtud ſpectrum referens, non aliter quàm Seuerus Sulpitius, addit lib. 3. de vita Martini.

Proh dolor æternum clamans te, perfide, Christum:
Vt velata, pio sub Numine, forte lateret
Impietas, mentita Deum, sua sacra beatum
Credere mendaci, specie sub nomine Christi,
Et curuare pios, in honorem Dæmonis, artus,
Sacrilegum vt faceret nefas, heu, credita sanctum,
Religio, ac fidei meritis credendo careret.

Testatur Seuerus Sulpitius se ex ipsius beati Martini ore didicisse hoc ita gestum esse vt retulit, ne quis fortè existimet fabulosum. B. Ephrem Syrus, cuius sanctitatem & pietatem admirandam, Beatus Basilius & Gregorius Nyssenus mirificè prædicant, in ea quam scripsit vita B. Abramij, narrat cùm hic vir sanctus media nocte psalleret, repentè lucem magnam, velut Solis, in cella eius refulsisse, & vocem eiusmodi audiuisse: Beatus es Domne Abrami, verè inquam beatus es, quoniam nullus in cunctis rectè factis inuentus est sicut tu, nullusque ita om-

nes voluntates meas perfecit vt tu: At ſibi diuino impulſu cauit, vir ille beatus, nam quid ſibi palpator iſte? an non viſcus merus iſta blanditia? nec aliud aut cogitabat aut moliebatur quã vt ab illo integerrimo & omni virtute conſpicuo viro adoraretur, ſed fruſtra ceſſere artes iſtius plani & præſtigiatoris antiquiſſimi, nam fuſus fugatuſque eſt non minus à beato Abramio, quàm à beato Martino in vtraque ludificatione. Hæc fidem qui maximi faciunt, & quos fides, adeo certa & indubitata fatebuntur, vt etiam poſt Chriſti incarnationis œconomiam, ſuis omnibus partibus abſolutam, diabolum vbi occaſionem nactus eſt, nunquam prætermiſiſſe quin à ſuis adoraretur, idemque apud pios, ſuis facetis fabricis & doctis dolis, tentaſſe, Deumque alioquin optimum & tamen iuſtiſſimum, illud aliquando permiſiſſe concedãt, quo nomine Sacrificiũ illi à maleficis & magis exhibitum, incredibili diuinæ benignitatis patientia, comprehendi ſuperiora ſatis declarant. Totum denique locum hunc abſoluet ſanctiſſimus Epiſcopus & martyr, vir Apoſtolicus, beatus Irenæus libro 5.

aduersus Hæreses c. 24. *Diabolus quippe Apostata existens Angelus, hoc tantum potest quod egit in principio, seducere & abstrahere mentem hominis ad transgredienda præcepta Dei, & paulatim obcæcare corda eorum qui conarentur seruire ei, & ad obliuiscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare.* Quod adiecit beatus Irenæus, *ipsum quasi Deum adorari*, non quidquam minuit de insano diaboli desiderio, quo modis omnibus, quidquid est diuini cultus & venerationis, sibi vni ab istis male feriatis hominibus, aut alijs, si queat, exhiberi studet, qui quanquam ab illa sempiterna diuini Numinis maiestate longissimo, vel potius immenso interuallo distare se probe teneat, nihilominus Dei nomen & existimationem apud homines perditos sibi semper vendicare conatur. Et quanquam in furtis, latrocinijs, cædibus, adulterijs, & similibus maleficijs, diuinam agnoscamus permissionem, nihil enim mali quidquam patrari & effici potest, nisi ex diuinæ suæ prouidentiæ regula id sinat Deus, quod eleganter varijs locis explicat beatus Augustinus, & ex eo nostri Scholastici: Nihilominus, iudi-

ci non ea legitima excuſatio videri poteſt, admiſſi furti aut cædis, ſi reus, vna diuina permiſſione tueri ſeipſum velit. Ita profecto cum iſtis magis & maleficis agendum, vt quanquam ſciuerit Deus diabolum ab ijs adorari, ſacrificijs honorari, non idcirco impunè illis cedat? ſed cùm acriùs & vehementiùs latiùſque diffuſo malo, diabolo impellente, diuinam gloriam illi oppugnent, eò diligentiùs & ſeueriùs acerbiſſimis expugnentur ſuppliciis. Verum quoniam de pœnis quibus afficiendi videntur malefici, quæſtio nunc propoſita eſt, illam euidentiſſima demonſtratione abſoluam. Aut artem Magicam norunt iſti dumtaxat, aut illam ad vſum reuocant, & quidem bifariam, vel alteri nocendo, aut iuuando. Primum illud culpa vacare non poteſt, ſiquidem omnium legum diuinarum, humanarũ, conſenſu Magia dãnata eſt, nec citra pœnam eſſe debet, ſi quis illam didicerit, vt nec ſupplicium effugere meritò poteſt qui artem illam doceat: At par crimen diſcendi atque docendi profana atque vetita, Cod. de Hæret. l. 2. Secundum illud de vſu noxio &

pernicie allata seu hominibus, seu rebus quæ ad eum spectent, & quidem malefica arte, quis venia dignum istud dicat, nisi is cui erepta magis quam mota mens videatur, & nos anteà satis superque de eo diximus. Tertium genus, eorum, videlicet, qui maleficos se esse pernegant, at dum ægrotis opem ferunt ea adhibent remedia, quæ multis veterum Medicorum, aut cognita, aut probata non fuerunt, atque adeò quæ nullam omninò, ex sui natura, huiusmodi morborum sanandorum vim & energiam habeant, cum quibus longissimo dissident interuallo. Nec enim vel scriptum vel dictum vspiam apud rei medicæ scriptores, Speculum chalibæum curare herniam, & tamen eo vtebatur remedio, ad huius morbi curationem, famosus ille magus, Lutetiæ infami morte absumptus, de quo suprà, quique fassus erat se duos familiares & contubernales habuisse Dæmones, quorum vni Apis, alteri Asinus nomen erat. An quia segetes alienas ille non excantauerat, id est cantando traduxerat, idcircò venia dignus videri potuit? fallunt & falluntur qui ita

censent, siquidem isti Magi, qui opis ægrotis ferendæ illo pretextu vtuntur, similes sunt latronibus quibusdam Ægyptijs, qui Philetæ cognominati erant, quasi dicas basiatores, dum enim homines arctissimè amplecterentur, eosdem suffocabant, vt habet Seneca Epistola 51. non aliter magi huius generis, si diuis placet, salutares, dum enim inauditis, inusitatis & plane ineptis remedijs sanitatem ægris restituere contendunt, an non ijs, quos curant, saliuam mouent & gustum dant artis istius, tam beneficæ, tam potentis, vt ipsi dictitant, cognoscendæ? an non validissimum illud est illicium, quo vel curiosi aliquantum, vel simpliciores, nullo negotio, in sui perniciem capientur. Denique istius generis magos Apostatas esse & Dæmonibus deuotos euidentissimè comprobauimus, atque adeò euicimus, sed Apostatas supplicio afficiendos esse, præter diuinam legem, definitum habemus, Cod. de Apostatis. Firmo & hanc sententiam Nouella 65. Leonis Imperatoris, de Incantatorum pœna, quæ totum hunc locum sic complectitur. *Nos istiusmodi incantatio-*

nes perniciosas esse persuasum habemus, & vt boni quidquam inde manare credamus induci non possumus. At sanè, etiam si boni quippiam producere illas appareat (quomodo quidem approbanti ipsas legi 4. Cod. de malef. & mathemat. videtur) non id bonum esse, sed illecebram atque nassam, quæ illectos in malorum omnium extremum, vbi à summo bono excidant, absorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis est illas incantationes efficere, vt qui seipsis dedunt, præ Creatore & Domino, infaustis dirisque dæmonijs adhæreant, & qui illas assectantur, hos per externarum rerum lætam quandam speciem, vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticulosis frequenter accidit, qui dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput, vel ventrem exponunt. Sanè verò, si quis aliquo modo incantamentis vsus esse deprehensus fuerit, siue id restituendæ conseruandæue valetudinis, siue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, in Apostatarum pœnam subiens, supremum supplicium sustineat. Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur, iam qui sint Dei, qui verò Sathanæ facillimè dignoscuntur, qui enim à partibus Dei stare dicemur, qui maleficos post maleficio excantatas vicini sege-

tes, & vbi terra cùm proſcinditur.

In quinto quoque ſulco moriuntur boues:
Tum vinum priuſquam coactum eſt pendet putidum,
Vbi fulguritæ ſunt alternæ arbores,
Sues moriuntur angina acerruma,
Oues ſcabræ ſunt:
Atque adeo Acherontis hoſtium eſt.

Vt loquitur Plautus in Trinummo, nihilominus, poſt tantas clades illatas, inſontes pronunciabimus? Scio aliquando credulitate peccatum fuiſſe non leuiter hac in quæſtione. Nec ignoro illud Iuuenalis Satyr. 6.

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Et apud Ammian. Marcellin. libr. 14. Alexander Magnus, vrgenti matri vt occideret quemdam inſontem, & dictitanti, ſpe impetrandi poſtea quæ vellet, eum ſe per nouem menſes vtero portaſſe prægnantem, reſpondit: *Aliam parens optima, poſce mercedem, hominis enim ſalus beneficio nullo penſatur.* Sed quid ad hæc Dominus Deus, Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Siccine Apoſtatæ, Idololatræ & teterrimi perfugæ innoxii habebuntur? Siccine le-

gibus, quà ſacris, quà profanis damnatæ, impuratæ belluæ, eumdem nobiſcum aërem aſpirabunt? Siccine Sathanas de Deo, ſiccine hominum ſacrilegiſſimi; de eo qui architectus eſt omnibus, tam magnificè & ſecurè triumphabunt? Spectat hoc Sol & ſpectatur. Quis non contremiſcat dum audierit illud Prophetæ miſſi ad Achab Regem, qui Syriæ Regem Benadab hoſtem captum, illeſum dimiſerat. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Diuturna impunitate furorem ali dixit Pitho Romana & Suadæ-medulla, Ego & numerum inſantûm augeri, & in immenſum excreſcere addiderim: Lepidè Plautus in Truculento, Act. 1. Scena, Non omnis.

Nam nunc lenonum & ſcortorum plus eſt ferè,
Quàm olim muſcarum eſt cum caletur maximè.

Etiam Magos, Maleficos, Sagas, hoc tempore, in orbe Chriſtiano, longè numero ſuperare omnes fornices & proſtibula, & officioſos iſtos, qui homines inter ſe conuenas facere ſolent, nemo negabit niſi elleboroſus exiſtat, & nos

quidem tantam colluuem miramur ac perhorreſcimus. Numer. 23. Balaam Magus inſignis & Pſeudo-Propheta, ingratijs, Deo illum ita impellente & mouente, cum populo Hebraico fauſta omnia & felicia vaticinaretur, Elogium iſtud de eo protulit *Non eſt Idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael: Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ Regis in illo: Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis: Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael.* Ex Chaldæo Paraphraſte vertunt elegantèr: *Non enim auguria placent in domo Iacob, neque diuinationes volunt domus Iſrael.* Appoſitè hæc ſententia ſequitur id quod nunc dixerat de Ægypto, vt indicaret Balaam, Hebræos, licet non paucis ſæculis inter Ægyptios verſatos, nihilominus, ab ijs Magicis artibus, maleficijs atque diuinationibus, quibus nimiùm quantùm addicti erant Ægyptij, vt ſupra indicauimus, penitus abhorruiſſe. Tam longè nos Chriſtiani Catholici, hoc æuo, ab iſta commendatione diſtamus, quantum illi Sabbatarij à ſuo Meſſia, quem hiantes vel auidiſſimè expectant. Nobis enim vel nullus

aut rarus maleficus, & Magus, Sagæ, quæ dicuntur, nihil omnino cum diabolo commercij habent, & si quid vel segetes, vel vuas læsisse dicuntur, vulgi errorem esse pronunciamus. Si equos, boues, oues & ceteras animantes, repẽtè, cælo paulo antè & penè sereno, graui tonitru, procellaque syderis, vel ipso Diali fulmine, ac nonnunquam cæco maleficio percussas audierimus, fortuito casui illud tribuimus. De excitatis imbribus, grandine, & similibus, fabulam esse cum Seneca pronunciamus, quidni etiam cum Seneca, libro de Consolatione ad Marciam, Epistola 24. & 82. Inferos & inferorum cruciatus rideamus? *Illa*, inquit ipse, *quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Luserunt ista Poëtæ & vanis nos agitauêre terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est & finis, vltrà quam mala nostra non exeunt*: Quin addimus, iam nullus est Deus, nisi quem sibi quisque finxerit, hoc enim tantum superest ex illa Senecæ sentẽtia ad summum impietatis gradum. Quid si nonnulli in illorum flagitiorum admissorum suspicionem venerint, & propterea rei agantur, non pauca, non leuia, non obscura, sed

ſcura,ſed innumera,certiſſima, & longè clariora, quàm Sol Rhodius,argumenta & teſtimonia deſideramus. Hactenus permulta enumerauimus,ex quibus non temere Magum vel maleficum aliquem teneamus, ſi virorum fide dignorum apertis teſtimonijs,aliquãtum iſta iuuentur.Satis vrgent oblata Dæmoni Sacrificia,conuentus habiti, res ſacræ, & quidem eius generis quas contrectare profanis nefas eſt,apud iſtos domi aſſeruatæ & repertæ.Addo caracteres & imagines ignotas,quin & libros Acheronticos,ſic enim Magicos illos appellat Arnobius lib.2. quos qui venduut, digni profectò «qui dẽt nomen in triremium coloniam. Ecquis igitur ambigit nos eſſe in quos fines ſæculorum deuenerunt,vt ait Apoſtolus.Ac Sathanam ſuis illis vinculis ſolutum eſſe vix eſt vt dubitem, aut prope ſoluendum eſſe, mihi planè definitum, cùm paucos videam, qui Dei regnum firmatum, Sathanæ verò regnum euerſum velint,quandoquidem ipſius Sathanæ clientes, aſſeclas, ſeruos, in orbe Chriſtiano, inſontes & innoxios haberi perſpiciã. Sed quiſquis es harum curioſarum artium, & admirator & perſcru-

tator, si fortè in hæc mea incideris, adsta paulisper, & parte vna Sathanam, quem deperis, altera verò Christum, quem videris repudiare, colloca, fluctuatne animus, nec satis tibi constat quem sequare? Eugè Christianè,

Huc secundus ventus nunc est, cape modo vorsoriam,
Hic Fauonius serenus est, iste Auster imbricus:
Hic facit tranquillitatem, iste omnes fluctus conciet.

Apostatæ illi nuntium remitte si sapis, satis hactenus tu tuis malis artibus & cantaminibus, & nos nostris grauissimis noxis

Fecimus cælum nocens.

FINIS.

ARTICVLI THEOLOGORVM Parisiensium, de Magia & inuocatione Dæmonum.

Ex tractatu Ioannis Gerson Cancellarij Parisiensis, De erroribus circa artem Magicam.

Primus Articulus.

QVod per artes Magicas & maleficia & inuocationes nefarias quærere familiaritates & amicitias, & auxilia Dæmonum non sit Idolatria. Error,

quoniam Dæmon aduerſarius & pertinax & implacabilis Dei & hominis iudicatur. Nec eſt honoris vel dominij cuiuſcunque verè, ſeu participatiuè, vel aptitūdinaliter ſuſceptiuus : vt aliæ creaturæ rationales non damnatæ, nec in ſigno ad placitum inſtituto : vt ſunt imagines & templa, Deus enim in ipſis honaratur.

Art. 2. Quod dare, vel offerre, vel promittere Dæmonibus qualemcunque rem : vt adimpleant deſiderium hominis, aut in honorem eorum aliquid oſculari vel portare non ſit Idolatria. Error.

« *Art.* 3. Quod inire pactum cum Dæmonibus tacitum vel expreſſum non ſit Idolatria vel ſpecies Idolatriæ & Apoſtoſiæ. Error. Et intendimus pactum eſſe implicitum in omni obſeruatione ſuperſtitioſa: cuius effectus non debet à Deo vel natura rationabiliter expectari.

Art. 4. Quod per artes Magicas Dæmones in lapidibus, anulis, ſpeculis, aut imaginibus nomine eorum conſecratis, vel potius execratis, includere, cogere, vel artare, vel eas velle viuificare, non ſit Idolatria. Error.

Art.5. Quod licitum ſit magicis artibus, vel alijs quibuſdam ſuperſtitionibus à Deo aut ab Eccleſia prohibitis, aliqua facere pro quocunque bono fine. Error. Quia ſecundum Apoſtolum. Non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona.

Art.6. Quod licitum ſit, etiam permittendum, maleficia maleficijs repellere. Error.

Art.7. Quod aliquis cum aliquo poſſit diſpenſare in quocunque caſu, vt licitè talibus vtatur. Error.

Art.8. Quod artes Magicæ & ſimiles ſuperſtitiones & earum obſeruationes ſint ab Eccleſia irrationabiliter prohibitæ. Error.

Art.9. Quod Deus per artes magicas & maleficia inducatur Dæmones compellere ſuis inuocatoribus obedire. Err.

Art.10. Quod thurificationes & ſuffumigationes quæ fiunt in talium artium & maleficiorum exercitio, ſunt ad honorem Dei & ei placeant. Error, & blaſphemia: quoniam Deus aliàs non prohiheret vel puniret.

Art.11. Quod talibus & taliter vti non eſt Sacrificium, ſeu immolare Dæmonibus: & ex conſequenti damnabiliter idolatrare. Error.

Art. 12. Quod verba ſancta & orationes quædam deuotæ, & ieiunia, & balneationes, & continentia corporalis in pueris & alijs: & Miſſarum celebratio, & alia opera de genere bonorum, quæ fiũt pro exercẽdo huiuſmodi artes, excuſent eos à malo & non potius accuſent. Error: nam per talia ſacræ res, immò ipſe Deus in Euchariſtia Dæmonibus tentatur immolari, & hoc procurat Dæmon: qui vult in hoc honorari ſimiliter Altiſſimo: vel ad fraudes ſuas occultandas, vel vt ſimplices, illaqueet facilius, & damnabilius perdat.

Art. 13. Quod ſancti Prophetæ, & alij, per tales artes habuerunt ſuas Prophetias, & miracula fecerint, aut Dæmones expulerint. Error & blaſphemia.

Art. 14. Quod poſſibile eſt per tales artes cogere liberum hominis arbitriũ ad voluntatem ſiue deſiderium alterius. Error, & conari facere eſt impium & nefarium.

Art. 15. Quod ideo artes præfatæ bonæ ſunt, & à Deo, quod licet eas obſeruare: quia per eas quandoque, vel ſæpe euenit ſicut vtentes eis quærunt, vel

prædicunt: vel quia bonum quandoque prouenit ex eis. Error.

Art. 16. Quod per tales artes Dæmones veraciter coguntur & compelluntur: & non potius ita se cogi finguntad seducendos homines. Error.

Art. 17. Quod per tales artes & ritus impios, per sortilegia, per carminationes, per inuocationes Dæmonum, per quasdam inuultationes, & alia maleficia, nullus vnquam effectus ministerio Dæmonum subsequatur. Error. nam talia quandoque permittit Deus contingere, vt patuit in Magis Pharaonis, & alibi pluries: vel ad probationem fidelium: sicut habetur Deuter. 13. vel in quorundam hominum dignam flagellationem: vel quia abutentes seu consulentes propter malam fidem aut alia peccata nefaria, dati sunt in reprobum sensum, & demerentur sic illudi.

Art. 18. Quod boni Angeli includantur in lapidibus, & consecrent imagines vel vestimenta, aut alia faciant quæ in istis artibus continentur. Error & blasphemia.

Art. 19. Quod sanguis vpupæ vel hœdi, vel alterius animalis, vel pergame-

num virgineum, aut corium leonis & ſimilia, habeant efficaciam ad cogendos vel repellendos Dæmones miniſterio huiuſmodi artium. Error.

Art. 20. Quod imagines de ære vel de plumbo, vel de cera alba, vel rubea, vel de alia materia baptiſatæ vel exorcizatę: conſecratæ vel potius execratæ, ſecundum prædictas artes, & ſub diebus certis, habeant virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur. Error in fide, in Philoſophia naturali, & Aſtrologia vera.

Art. 21. Quod vti talibus & fidem dare, non ſit idolatria & infidelitas. Error.

Art. 22. Quod aliqui Dæmones boni ſunt: aliqui benigni, alij omnia ſcientes, alij nec ſaluati nec damnati. Error.

Art. 23. Quod fumigationes, quæ fiunt in huiuſmodi operationibus, conuertuntur in ſpiritus: aut quod ſint debitæ eis. Error.

Art. 24. Quod vnus Dæmon ſit Rex Orientis, & præſertim ſuo merito: alius Occidentis, alius Septentrionis, alius Meridiei. Error.

Art. 25. Quod intelligentia motrix cæli influit in animam rationalem, ſicut

corpus cæli in corpus humanum. Error.

Art. 26. Quod cogitationes noſtræ intellectuales & volitiones interiores immediatè cenſentur à cælo, & quod per aliquam traditionem Magicam, tales poſſunt ſciri, & per illam de eis certitudinaliter iudicare ſit licitum. Error.

Art. 27. Quod per quaſcunque artes Magicas poſſumus deuenire ad viſionem diuinæ eſſentiæ, vel ſanctorum ſpirituum. Error.

Acta ſunt hæc & poſt maturam crebramque inter nos & deputatos noſtros examinationem, concluſa in noſtra congregatione generali: Pariſius, apud ſanctum Maturinum, de mane ſuper hoc ſpecialiter requiſitos. Anno Domini, milleſimo trecenteſimo nonageſimo octauo. die decima nona menſis Septembris.

Finis Articulorum Pariſienſium.

Errata inſigniora ſic emenda, & quæ omiſſa repone.
Fol. 11. a. linea 11. adde, 4. Reg. 2. fol. 12. b. linea, 11. Ecedunt. lege, Exedunt. fol. 13. a. linea 7. declarant, lege, declarat. fol. 29. a. linea 27. lauienam. lege, lanienam. fol. 30. a. linea 13. Vaticinationibus, lege, vaticinatoribus. fol. 34. a. linea 14. varium. lege, vanum. fol. 35. b. linea. 19. fronte, lege, fonte. fol. 44. a. linea 21. omiſit, lege, ipſe omiſit. fol. 50. a. linea 8. illoto. lege illato. fol. 51. b. linea 28. iſtarum, lege, iſtorum. fol. 56. b. linea 16. Affricis. lege, Affris. fol. 63. a. linea 6. ſed qui, lege, ſed & apud eos qui. ibidem linea 14. vſurpant, lege, vſurpabant.